Henning, Erich
De tragicorum Atticorum
narrationibus

PA
3136
H4

DE TRAGICORVM ATTICORVM NARRATIONIBVS.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

CONSENSV ET AVCTORITATE

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

ERICH HENNING

HANNOVERANVS.

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT

MCMX.

PA
3136
H4



966718

De dissertatione probanda ad ordinem phil. rettulerunt
F. Leo et M. Pohlenz.

Examen rigorosum habitum est a. d. VI. Id. Dec. MCMIX.

Patris Manibus

S.

Definitio tragoediae quam Aristoteles poet. c. 6 proposuit eo praecipue a tragoediis Atticis quae ad nostra tempora venerunt, differt, quod tragoediam non per narrationem (*καὶ μὴ δι' ἀπαγγελίας*) sed per actionem animos excitare enuntiatur[1]). Nam poetae tragici saeculi V multa per narrationes in spectatorum notitiam venire volunt: Euripides qui primis fabulis unam longam narrationem inserens in posterioribus non numquam duas admittit, narrationes potius petit quam fugit atque longa narratione aliquotiens exprimit quae paucis verbis absolvere potuit velut I. T. 238 sq. Et quod e. g. Sophocles Trachinias ita componit ut nihil ante scaenam agatur sed tota actio fabulae personis quid post scaenam gestum sit narrantibus explicetur, demonstratur poetas tragicos s. V omnino id non spectavisse ut actio in conspectu ageretur. Accessit quod narrationes ex origine tragoediae et natura fabularum in theatro docendarum necessariae erant. Nam narrationes quae nunc in fabulis Atticis satis multae inveniuntur, eis temporibus quibus unus actor exstitit magnam partem tragoediarum explevisse pro certo habendum est. Sine dubio poetae saepius ad narrationes etiam ea de causa refugerunt quod res amplas velut proelia (pedestria in Eur. Heracl. Suppl. aut navalia in Aesch. Pers; Eur. Hel., I. T.) et contiones (Aesch. Suppl.; Eur. Or.) ante scaenam gerere difficilius erat. Aliis in tragoediis res enarrata si ante oculos acta esset, nimium temporis occupavisset: e. g. in Euripidis Ione senex v. 1047 a scaena abit, in narratione v. 1172 in

---

1) cf. v. Wilamowitz, Herc. I^1, 107 ff.

cena versatur. Ion dolum senis cognoscit, currit ad magistratus, Creusa damnatur item in Andromacha: v. 1005 Orestes Delphos abit et iam v. 1070 nuntius Delphis Phthiam redit qui de rebus ab Oreste illic gestis narret[1]). Praeterea poetae ut unum locum actionis haberent, multa per narrationes explicare cogebantur. Quamquam enim Aeschyli Eumenides et Sophoclis Aiax, quibus in fabulis mediis locus actionis commutatur, comprobant una in tragoedia actionem duobus locis geri posse, tamen in tragoediis recentioribus, imprimis Euripidis in fabulis, exempla desunt. Poetae posterioris aetatis hoc vitavisse videntur. Denique quod chorus semper[2]) ante scaenam manebat, poetae tragici si clam, procul ab omni arbitro, agi voluerunt velut Sophocles mortem Iocastae et Deianirae, hoc facere non potuerunt nisi actionem ipsam post scaenam transferrent et deinde per narrationem explicarent. His omnibus narrationibus accedunt eae quae exponendi causa locum in tragoediis occupaverunt.

Non multi viri docti in narrationibus tragicis cognoscendis operam posuerunt. Ex quibus postremus Rassow[3]) leges quibus Euripides nuntios astrinxit, definivit. De Euripideorum prologorum arte Klinkenberg[4]) et v. Arnim[5]) accuratissime disputaverunt[6]). Naturam omnium narra-

---

1) tempus ad res gerendas necessarium ab Euripide semper cantico chori nuntio praemisso expletur; cantica ante narrationes rerum quas ad gerendas longius tempus necessarium est ponuntur Hipp. 1131 sqq. Heracl. 748 sqq. Suppl. 597 sqq. I. T. 122 sqq. 1234 sqq. El. 678 sqq. Hel. 1451 sqq. Or. 807 sqq. Phoen. 1018 sqq. Hoc igitur loco si quando chorus deerit, finis actus postulabitur.

2) excipiuntur Soph. Ai.; Eur. Alc., Hel. et Rhesus; cf. v. Wil. Griech. Trag. III, 95 ann. 3.

3) Rassow, De nuntiorum Euripideorum narrationibus Gryphiae. 1883.

4) Klinkenberg, De Euripideorum prologorum arte et interpolationibus. Bonnae 1881.

5) v. Arnim, De Eurip. prol. arte et interpolationibus. Gryphiae Diss. 1882.

6) Praeterea libros quorum ratio ad opusculum meum quadrat

tionum tragicarum et formam perquirere mihi proposui. Et quoniam ex tragoediis Euripidis satis multas superstites habemus ut de eis aliquid certius disserere possimus, ab his initium capiamus et tragoedias Sophoclis Aeschylique cum eis conferamus.

I.

Ut fundamentum solidum ponamus, id primum quaerendum est quem locum narrationes in actione tragoediarum Euripidearum obtineant[1]).

a) Narratur ut spectatores res de quibus tragoediam geri poeta vult intellegant. Tales narrationes imprimis exstant in prologis, in quibus deus vel alia persona ut unde tragoedia incipiat spectatoribus explicet, in scaenam venit. Deinde in orationibus personarum in scaenam procedentium inveniuntur narrationes quibus spectatoribus apertum fiat, cur ista persona advenerit: Hel. 386—484 Menelaus peregre veniens res quae sibi evenerint exponit. Haec narratio ut prologus profertur (Leo p. 30/1); Or. 356—374 Menelaus fata quae se in mari navigantem paene contuderint enarrat. Denique in Alc. 158—208 nutrix post parodum chori explanat quae res adversae Alcestidem et Admetum opresserint. Etiam haec narratio exponendi causa tragoediae innectitur (Arnim p. 99 sqq.).

b) Narratur ut aliquid novum et inopinate factum nuntietur. Cum narrationes quas antea enumeravi potius ad spectatores docendos recitentur quam ad personas fabulae, hae narrationes — excipiuntur tres Alc. 751—771, Hel. 515—526, Bacch. 616—640 — ad homines in tragoediis agentes dicuntur et novo momento actionem producunt cf. Alc. 751—771 servus domo progressus per soliloquium de potatione Herculis et famulorum luctu narrat. Haec nar-

---

secutus sum; inter quos hoc loco commemoro nuper editos: Groß, Die Stichomythie in der griech. Tragödie u. Komödie et Leo, Der Monolog im Drama (AGG. 1908).

1) De narrationum compositione rhetorica cf. Th. Miller, Euripides rhetoricus. Gott. 1887, p. 50 sqq.

ratio spectatoribus quid Hercules in aede gesserit explicat et ad actionem promovendam nihil valet. Hec. 220—224 Ulixes de consilio Argivorum referens mortem Polyxenae oppetendam esse nuntiat. Hac narratione actio promovetur, quod per totam tragoediam mores Hecubae quantum ad furorem novis atque inauditis terroribus abripiantur, aperitur. I. T. 940—978 Orestes postquam sorori per stichomythiam multa mala sibi post mortem Clytaemestrae ferenda fuisse explicavit, v. 939 longiorem narrationem cur ad hanc terram venerit incipit. Haec narratio raptum imaginis praeparat. Phoen. 1217—1263 nuntius postquam pugnam ante muros Thebarum commissam v. 1090—1199 enarravit, addit fratres inter se pugnaturos esse. Ita pugna et mors alterna quae paulo post nuntiatur, praeparatur; praeterea cf. Andr. 804—816, Heracl. 393—409, Troad. 1123—1146, I. T. 260—335, Hel. 515—526 = 529—539, 605—615, El. 509—517, Bacch. 436—448, 616—640, 677—772, I. A. 414—441, Rhes. 284—317.

c) Actio quae tragoediae parte antecedente praeparatur per longiorem narrationem explicatur, ut chorus personaeque ante scaenam versantes et spectatores sciant, ad quem finem res perducta sit. Ex rebus quae narrationem antecedunt expectamus nunc nuntium aliquem venturum esse qui quid homines paulo ante ad res gerendas profecti egerint explicet. Cum igitur talis narratio — ut ita dicam — finis illius actionis sit, narratione peracta intermissio actionis fit (itaque hic saepius chori cantica vel personarum affectus locum habent). Compositione tragoediae narrationes quas nunc enumerabo in duos ordines iungi possunt:

Pars actionis narratione absolvitur; cf. Hec. 515—582: cum Polyxena iam a v. 438 certe mortem subitura videatur, ad id unum animum attendimus qualem mortem subierit. Poeta igitur nobis satisfacit quoniam per longam narrationem filiam Hecubae ante aram caedi quasi oculis conspicimus. Haec narratio primam partem actionis (quatenus Hecuba morte filiae excitetur) finit. A v. 658 quo famula cum corpore Polydori procedit, altera pars (ad quantam saevi-

tiam Hecuba novo malo abstrahatur) incipit. Or. 866—956: Iam a prologo v. 48 sq. scimus populum Argivorum hodie suffragium de Oreste utrum lapidibus interimendus sit necne, laturum esse. In hoc concilio cardo prioris partis fabulae versatur et Orestes Menelaum ea de causa sola ut se *hodie* apud Argivos adiuvet, sibi conciliare vult[1]) et Tyndareus se etiam in contione contra Orestem dicturum esse dicit (cf. v. 612—614). Postquam Tyndareus v. 629 et Menelaus v. 716 et Orestes cum Pylade ad contionem profecti sunt, choro solo ante scaenam relicto iam studemus cognoscere quid ab eis in publico gestum sit. Hoc narratione nuntii post canticum — intermittitur accessus Electrae vv. 844—849 — solvitur et comperimus quomodo Orestes et Electra capitis damnati sint. Post hanc narrationem nova actio instituitur; nam in hac parte Orestes Pylades Electra consilia de Menelao puniendo perficiunt. Illa igitur narratio finis prioris partis est.

Catastropha tragoediae[2]) nuntio narratur. Hae nar-

---

1) De hac re sola Orestes Menelao persuadere velle apertum fit imprimis vv. 656, 666, 687—713; 723—724

ὅποι τραπόμενος θάνατον Ἀργείων φύγω;
οὗτος γὰρ ἦν μοι καταφυγὴ σωτηρίας.

2) Notio καταστροφή habet locum in ea ratione qua tragoedia dissolvitur in πρότασιν, ἐπίτασιν, καταστροφήν. cf. Leo. Plaut. Forschg. p. 210 sqq. Cum autem nos finem actionis quae per fabulam explicatur, non finem fabulae hoc verbo nominemus, Graeci notione καταστροφή finem tragoediae significasse videntur cf. Polyb. III. 48. 8 et Polyb. III. 47. 6 ubi καταστροφαί et τέλος idem significant; item Polyb. III. 47. 8 καταστροφὴ καὶ ἔξοδος. cf. Donat. de com.: καταστροφὴ explicatio fabulae, per quam eventus eius approbatur; idem Euanthius cf. Leo p. 211. Donat. arg. Ter. Andr.: hic protasis subtilis, epitasis tumultuosa, *catastropha paene tragica* et tamen ex his turbis in tranquillum pervenit; cf. in fine argumenti: tum Critonis interventus et per eum cognitis rebus in tranquillum res acta i. e. Andrius Crito extrema parte fabulae ut deus in fabulis Euripideis rem in tranquillum ducit: Glycerium civis esse agnoscitur. Eadem significatio in Petron. 54 esse videtur. Apud Aristotelem huic parti nomen ἔξοδος est (cf. poet. c. 12). — Alia significatio verbo καταστροφή inesse videtur in arg. Eur. Or. τὸ δρᾶμα ἔχει *κωμικωτέραν* τὴν καταστροφὴν cf.

rationes cum duabus quas antea tractavi comparari possunt, quod etiam καταστροφὴ iam dudum per totam fabulam praeparata finis huius actionis i. e. totius actionis est. Tales narrationes Euripidis in fabulis semper a nuntio recitantur; Med. 1136—1230 nuntius mortem Creusae et Creontis enarrat. Hac narratione catastropha tragoediae continetur; nam cum ante narrationem res adhuc incertae sint, morte Creusae et Creontis nuntiata tanta commutatio fit, ut mors liberorum flagitetur neque dubia sit; cf. v. Wilamowitz, Griech. Trag. III, 186—187. Caedes igitur puerorum non pars catastrophae est, sed hac parte fabulae explicatur, quod ex commutatione rerum sequitur[1]). Hipp. 1173—1254 nuntius mortem Hippolyti describit; cf. Heracl. 799—866; Herc. 923—1015; Suppl. 630—730; I. T. 1327—1410[2]); Ion. 1122—1226; El. 774—855; Hel. 1526—1618; Phoen. 1090 —1199. 1356—1477. Or. 1369—1502 (Phryx per canticum)[3]) Bacch. 1043—1153. I. A. 1540—1612. Rhes. 756—803.

Haec tria genera etiam in Sophoclis fabulis inveniuntur cf.

---

arg. Eur. Alc. τὸ δὲ δρᾶμά ἐστι σατυρικώτερον ὅτι εἰς χαρὰν καὶ ἡδονὴν καταστρέφει; hic voci καταστροφὴ notio permutationis inest quod opponitur tristis catastropha et perniciem hominum perficiens. Aristoteles hanc catastropham nomine μετάβασις significat; cf. poet. c. 18 quo loco λύσις id significat quod notio καταστροφὴ inter notiones πρότασιν ἐπίτασιν καταστροφήν.

1) item res se habet in El. 774—855: post narrationem res vere commutantur et ex caede Aegisthi caedes Clytaemestrae certe sequitur, quamquam Orestem sceleris paenitebit.

2) hoc loco actio non finitur quod fuga Graecorum nondum perfecta est. Hoc poeta sine dubio ea de causa fecit ut deus ex machina deinde meliorem facultatem procedendi haberet.

3) Euripidem in hoc cantico componendo ad genus poeseos lyricae suis temporibus vigens, νόμον κιθαρῳδικόν dico, respexisse iam ex metris solutis cognoscimus. Poeta ut hanc ipsam partem tragoediae in monodiam commutaret, adductus est quod etiam in illis carminibus quibus narrationes epicae per versus lyricos prolatae sunt, maxima pars narrationis erat; cf. p. 26. anm. 1. cf. v. Wil. Griech. Lit.-Gesch. p. 55—6. Timoth. Pers. p. 80 sqq. Chorus Hel. 515—526 similibus versibus solutis (glyconeis et iambis) et responsione carentibus rem enarrat. cf. Leo, Plaut. Cant. p. 76 sqq.

a) Sophocles narrationem quam Euripides exponendi causa semper initio fabulae per soliloquium absolvit, post primum canticum chori posuit; cf. Ai. 285—326, El. 255—309. Trach. 155—172. Philoct. 261—313 (item Euripides Alc. 158—208). In Trach. 1—48 Sophocles ineunte fabula explicationem rerum more Euripideo conformavit; praeterea Deianira media in fabula 555—577 exponit se a Nesso medicamentum accepisse.

b) Res nova in actionem tragoediae per narrationem inducitur his locis: Ai. 719—779 nuntius subito procedens Teucrum advenisse nuntiat et vaticinium Calchantis enarrat. O. R. 711—722 Iocasta narrat de vaticinio quod mortem Laii a filio perfectum iri praefatum sit. Haec narratio quidem pars orationis est quod Iocasta vaticinia vilia esse hac narratione demonstrare vult, sed simul novum momentum actionis efficitur, quod Oedipodi verba τριπλαῖς ἁμαξιταῖς in suspicionem veniunt, a quibus verbis actio producitur. O. R. 771—813 et illa narratione (711—722) movetur haec Oedipodis se in via Phocea hominem occidisse. Cetera exempla exstant haec: Ant. 249—277; 407—440; 999—1022; El. 418—427; 680—763; 893—914. Trach. 248—290; 351—365; 672—704. Philoct. 343—389. 604—619. O. C. 361—384. In omnibus igitur tragoediis quae superstites sunt, Sophocles narrationibus ad actionem promovendam utitur.

c) Catastrophae fabularum narrantur his locis: Ant. 1192—1243; O. R. 1237—1285. Trach. 749—812. O. C. 1586—1665. Denique addam in Trach. 896—946 narrari quid catastropham secutum sit sc. mortem Deianirae; quod nisi hoc loco in tragoediis Atticis longa narratione proferri non solet; velut Soph. Ant. 1277 sqq. mors Eurydicae, Eur. Med. 1273 sqq. mors liberorum, El. 1165 mors Clytaemestrae.

De A e s c h y l i narrationibus quod singula quae in tragoediis eius exstant exempla ad originem narrationum et genus cognoscendum propter antiquitatem tragoediarum maioris momenti sunt, singillatim disputemus. Suppl. 600—624: postquam rex v. 523 et Danaus v. 503 ut contioni

Argivorum intersint ex scaena recesserunt, Danaus nunc redit ut choro quid populus Argivorum constituerit et quomodo rex propositum (cf. 516—523) peregerit, nuntiet. Hoc nuntio apertum fit Danaidas urbe receptas non iam supplices esse i. e. hac narratione actio quae est de receptione Danaidarum finitur. Haec igitur narratio easdem partes agit atque narrationes Euripideae quibus actio aliqua in parte antecedente praeparata absolvitur. Pers. 181—210 Atossa choro senum Persarum somnium et augurium quod mentem pavore perculerit, accurate describit. Hac narratione quomodo animi Persarum perturbentur explicatur et quoniam novum aliquid quod timorem Persarum ante oculos ponit, per narrationem inducitur, haec narratio cum eis Euripideis quas sub littera b enumeravi comparari potest. Pers. 247 sqq.: illa narratione habita nuntium aliquem de pugna Salaminia non multo post venturum esse speramus. Et v. 249 accedit: ab Atossa interrogatus singulas partes proelii describit. — Haec narratio in fabula eum locum obtinet quem Euripideae narrationes de catastropha prolatae. Cum enim ex verbis chori Xerxem cum magno exercitu ad Graeciam profectum esse sciamus et chorus ut aliquid de sorte domini comperiret (v. 140—148) venerit quamquam nuntium nondum adesse non ignorat, etiam nos ad nuntium animos attendimus. Actionem igitur qua catastropha adducitur, ipsam ante initium fabulae perfectam esse poeta vult, cum in fabulis Euripideis actio ante oculos spectatorum ponatur. Analyticum vocari solet eius generis drama. Sept. 42—56 nuntio actio quae est de Thebanorum urbe defendenda innititur. Sept. 369—676: Iam priusquam nuntius procedit, scimus septem duces fortissimos ad portas eruendas accedere (vv. 124/6) et Eteocles paulo post choro dicit se cum sex viris portas ab hostibus defendere velle (vv. 283—285). Eteocles addit hos versus:

πρὶν ἀγγέλους σπερχνούς τε καὶ ταχυρρόθους
λόγους ἱκέσθαι καὶ φλέγειν χρείας ὕπο.

Eteocles igitur metuit, ne nuntii et famae incertae quod urbs tali necessitate prematur, vagentur. Post haec verba

abscedit, ut viros ad portas constituat cf. τάξω μολών. Tamen v. 372 revertitur neque illis hominibus dispositis neque de adventu nuntii certior factus. Poeta igitur Eteoclem hac una de causa redeuntem facit, ut ei occasionem cum nuntio de septem viris Argivis loquendi det quod diverbium mediam tragoediam explet [1]). Nuntius narratione septem partibus divisa describit mores ducum septem portis oppugnandis destinatorum. In fine uniuscuiusque descriptionis nuntius postulat, ut Eleocles quem in hostem missurus sit nominet. Eteocles in responso non modo hunc virum nuncupat et mores eius describit, sed etiam ex descriptione, quam nuntius de heroibus instituit, vaticinatus recte prodit fatum quod Argivis futurum sit; e. g. 437 sqq. recte dicit fulmen Iovis Capaneum gloriantem interempturum esse; de morte Parthenopaei recte dicit eum sub muro lapide elisum iri (v. 561 πυκνοῦ κροτησμοῦ τυγχάνουσ' ὑπὸ πτόλιν); sortis Amphiarai inscius est neque putat eum ante muros casurum esse cf. 615 sqq.; ad pugnam cum fratre paratus de eventu dubitat, quod Iustitiam se adiuturam esse non pro certo habet (668/71), et chorus postquam Eteocles has curas repressit de caede alterna fratrum dicit v. 681

ἀνδροῖν δ' ὁμαίμοιν θάνατος ὧδ' αὐτόκτονος

et vv. 683/4 Eleocles ipse non dubitat quin hanc mortem subiturus sit. Hoc modo responsis Eteoclis eventus pugnae spectatoribus qui totam rem ex Thebaide et »Profectione Amphiarai« noverunt, iam hoc loco explicatur. Sept. 792 sqq. nuntius breviter de clade Argivorum refert; mortem fratrum per stichomythiam nuntiat (a v. 804). Causam cognoscimus cur narratio de exitu heroum verbosior esse non potuerit: Eteocles et nuntius antea mores heroum habitusque et fata ita explanaverant, ut poeta ea iterum proferre nollet. Atque etiam ex eo quod hoc loco nuntius tam breviter de pugna Argivorum et Thebanorum narrat, intelle-

1) Etiam in Persis narratio de pugna Salaminia mediam tragoediam tenet.

gitur illa verba quae Eteocles cum nuntio de septem viris fecit, pro explicatione catastrophae habenda esse. Sept. 1010 sqq.: Praeco subito procedit ut nuntiet quid senatus de corpore Eteoclis et Polynicis constituerit. Hic nuntius animum Antigonae a questibus ad officium vertit[1]). Prom. 201 sqq. In hac tragoedia actio non fit, sed tota tragoedia ad id spectat, ut mores herois explicentur. Quam ob rem Prometheum poeta saepius facit narrantem quid olim inter homines gesserit cf. 201 sqq.; 436 sqq.; 476 sqq. Io v. 561 progressa vv. 645—682 mala quibus oppressa sit enarrat. Inter narrationes etiam vaticinia Promethei habenda esse non negabimus. Nam heros praesagus omnia futura eodem modo quo tempora praeterita scit et narrare potest cf. 701—735; 790—815; 829—872. Etiam v. 1016 sqq. vaticinatio invenitur qua quid futurum sit explicatur. Haec autem vaticinatio non narratio est ut Promethei antecedentes: pars orationis 1005—1035 est, quod Mercurius ut persuadeat Prometheo, eam adhibet. Ag. 281 sqq. Clytaemestra choro v. 280 inquirente statim cursum ignium multis verbis describit quasi ipsa incendia in montibus viderit. Hac narratione choro nova res nuntiatur. Ag. 650—670 praeco postquam choro iterum iterumque interrogante totum fatum Menelai per stichomythiam explicavit, vv. 650—670 perniciem navium exponit. Choeph. 674—687 Orestes narrat Strophium sibi in via Argolica mandavisse ut Argis Orestem mortuum esse nuntiet. Hoc brevi narratione certo consilio profert, ut Clytaemestram decipiat. Eum. 39—59 Pythia in prologo a v. 39 incipit quid in templo viderit explicare (optime de his vv. quatenus a prologis Euripideis differant, scholia ad v. 47 ascripta disputant).

II.

Inter Euripideas narrationes nuntii certam formam prae se ferunt. Rassow enim observavit narrationes nuntiorum semper eodem modo in tragoedias inseri et leges plurimas

1) cf. v. Wil. rel. acad. Berol. 1903, 436 sqq. et Wundt Philol. 65, 357 sqq.

quibus tenentur priore parte dissertationis explicavit; alias ipse addam. Cum aliae personae nuntiatum in scaenam venientes statim ad rem ipsam accedant cf. e. g. Hec. 218 sqq., Andr. 802 sqq., Heracl. 389 sqq., Troad. 1123 sqq., Hel. 509 sqq. et 528 sqq., Bacch. 436 sqq., nuntiorum narrationibus breve diverbium praemittitur, quo nuntius quod postea longius expositurus est indicat cf. Rassow p. 10 ff. Nuntius cum rebus quas ipse vidit maxime commoveatur, semper ad initium huius dialogi verba magno cum affectu dicta ponit; exempla cf. p. 23. Deinde nuntii a persona aliqua interrogati (sc. veri ὑποκριταὶ sunt) longiorem narrationem semper a rebus ipsis, prooemio non praemisso incipiunt cf. Rassow p. 21. Porro nuntiorum narrationes semper eundem fere numerum versuum explent; sunt circiter octoginta. Res igitur accuratissime depingi potest. Denique nuntius totam rem nulla persona interpellante narrat, quo magis personis quae adsunt neque loquentibus neque agentibus attentio spectatorum ad rem narrandam vertatur. Nuntius in Heracl. 799 εἷς μου λόγος σοι *πάντα* σημανεῖ τάδε ipse hanc legem verbis exprimit[1]).

---

1) Duae tantum ex narrationibus nuntiorum Euripideorum versibus aliarum personarum derumpuntur: utraque Phoenissarum. Phoen. 1090—1263 duae res sententia non coniunctae, pugna Thebanorum Argivorumque et certamen singulare fratrum inceptum, quibus ex rebus altera parte antecedente fabulae praeparatur sc. pugna, altera nova et praeter spem facta, versibus chori et stichomythia seiunguntur (1200—1216). Euripides etiam ea de causa narrationes seiunxisse videtur, ut laetitia Iocastae (1202 sqq.) spes expectatio angor dolor (1264 sqq.) iuxta ponerentur. Denique de duabus rebus duae narrationes perfectae instituuntur. Nam quod in fine omnium narrationum epilogum poni Rassow demonstravit, apertum fit primam narrationem iam v. 1195 finiri. Ineunte altera parte vv. 1219—1222 nuntius paucis verbis indicat ad quem finem verba spectent (quod aliis locis dialogo narrationi praemisso fit), et in fine epilogus ponitur. — Item duo versus chori vv. 1425—1426 narrationi nuntii intermittuntur. Etiam hac in parte narratio quidem de duabus rebus, de morte fratrum et Iocastae, agit, sed versus ipsam narrationem dirumpunt, quod ille epilogus post priorem partem non ponitur. Etiam hic consilium poetae apertum est: indicatur narrationem esse de duabus rebus.

Hae sunt leges quae ad externam formam narrationum pertinent. Itaque progrediamur de arte narrandi inquirentes. In hac quaestione hoc ante omnia tenendum est: nuntius procedit ut actionem ante scaenam quidem incohatam, sed post scaenam peractam per narrationem ante oculos ponat. Narratio igitur lacunam quae personis alio loco agentibus in actione tragoediae efficitur explet. Hoc autem ad argumentum narrationis magni momenti fuisse, mea quidem sententia compositione narrationum comprobatur. Narratione enim tota actio oculis nostris subiicitur:

1) Nuntius in scaenam progressus narrationem de personis quid absentes egerint, ex eo tempore incipit quo abierunt i. e. quo actio ante scaenam gesta desiit cf. Med. 975 liberi cum Iasone in aedem abeunt [1]). Ab hoc momento nuntius incipit v. 1136 *ἐπεὶ τέκνων σῶν ἦλθε δίπτυχος γονὴ σὺν πατρὶ κτε.* cf. I. T. 1223. El. 744 sqq.: *ἐπεὶ μελάθρων τῶνδε ἀπήραμεν πόδα ἐσβάντες ἦμεν δίκροτον εἰς ἁμαξιτὸν ἐνθ' ἦν ὁ κλεινὸς τῶν Μυκηναίων ἄναξ* nuntius igitur ineunte narratione spectat ad v. 698, quo cum Oreste abiit Aegisthum necatum cf. Hel. 1526—1529. In Bacch. 1043—1047 nuntius viam qua ad Bacchas venerint, describit. Ceteris in tragoediis nuntius non dicit quid personae ad agendum profectae in via fecerint: partim quod personas non comitati sunt, partim quod hoc scire non multum interest et nos ipsi personas abeuntes vidimus. cf. Hipp. 1102 ubi Hippolytus abit: narratio autem non ab hoc discessu initium capit, sed illud breve praeterit tempus quod inter discessum et adventum ad litus maris intercedit; item res se habet: Hec. 521 sqq. [2]). Andr. 1008 Orestes Delphos

---

1) hac una in tragoedia non solum canticum narrationi ante cedit, sed etiam diverbium Medeae et paedagogi ex aedibus venientis et longa oratio Medeae. His autem verbis praemissis eo magis ad id quod domi agitur spectamus.

2) Schol. Eur. Hec. 521 annotat: *αἴτημα σκηνικόν· πῶς γὰρ τοῦ Ἀχιλλέως ἐν τῇ Τροίᾳ θανόντος τοὺς Ἕλληνάς φησι πρὸ τοῦ τύμβου θύειν ἐν Χερσοννήσῳ ὄντας*; non recte Elsperger Philol. Suppl. XI de hoc loco iudicat; nam heroes in tumulo solo venerandi sunt. cf. Rhode,

proficiscitur, ut Neoptolemum necet. Nuntius qui de caede refert, initio narrationis ad hanc profectionem respicere non potest, sed v. 1090 narrare incipit, quid Orestes Delphos veniens fecerit. cf. Heracl. 800 sq.; Suppl. 650 sqq.; I. T. 260 sqq. Herc. 873 Furia aedes intrat: narratione nuntii primum sacrificium (sc. ea res quae Furia nondum in aedibus versata agitur) refertur, deinde furor Herculis. Ion. 1047 senex postquam venenum a Creusa accepit, abit; nuntius non ab hoc tempore narrationem incipit, sed initio narrationis explicat quid Xuthos et Ion v. 675 abeuntes fecerint.

2) Nuntius postquam ab hoc tempore narrationem instituit, ita pergit, ut non solum catastropham quam sibi proposuit, sed etiam quemadmodum res se ad hunc finem explicaverint accurate describat. Hoc mihi ante omnia argumento est Euripidem narrationem pro actione esse voluisse: verba nuntii totam lacunam explere videntur quae quod personae a scaena absentes agunt in actione dramatis efficitur velut in Med. 1134/5 Medea interrogat *πῶς ὤλοντο; δὶς τόσον γὰρ ἂν τέρψειας ἡμᾶς, εἰ τεθνᾶσι παγκακῶς.* Nuntius igitur mortem describens dominae satisfecisset quando quidem Medea Creusam vestibus venenatis perisse non ignorat neque eius interest scire quomodo liberi vestes dederint neque id ut sciamus ad actionem fabulae aliquid valet, sed mors Creusae et patris sola. At nuntius ab initio narrat quomodo res ad hunc finem venerit: 1144—1155 Jason Creusae quae liberos odit persuadere studet; 1156—1166 Creusa studio munditiae adducitur, ut se ornet; quod multis verbis describitur. v. 1204 pater venit; sed etiam hac in parte non solum pernicies describitur, sed maeror et questus totidem versus explent quod descriptio mortis In Hipp. 1178—1197 nuntius priusquam ad descripitionem perniciei quam paulatim Hippolytum oppressisse vv. 1198—1242 narrat, accedit, vv. 1178—1197 Hippolytum Argos fugientem describit ad litus maris profectum esse ubi ei

---

Psyche[2] p. 159; A. Furtwängler. Sammlg. Sabouroff. I. Lieferg. p. 19. tab. 1.

interitus paratur. Et hanc profectionem singulis partibus accuratissime describit. Hec. vv. 521—541 quid immolationem antecesserit nobis ante oculos ponitur: 521/2 omnis exercitus circum tumulum stat, 522—533 libatio et invocatio eo praeparatur, quod Neoptolemus cum praecone et adulescentibus Polyxenam tenentibus in tumulum ascendit, sumit poculum aureum, omnes tacent; vv. 534—541 Neoptolemus patrem invocat (una cum invocatione libat). Andr. 1090—1116 describitur, quas insidias Orestes Neoptolemo paraverit. praeterea cf. Heracl. 800—829. Herc. 928—963. Suppl. 653—672. J. T. 264—300. 1327—1389. Ion. 1132 sqq. nuntius sibi proponit, quomodo senex Ionem in convivio veneno interficere conatus sit. Ut hoc describat, eum a poculo veneno imbuto narrationem incepturum esse expectamus, sed longa descriptione tentorii quod Ion ad cenandum aedificat praemissa (1132—1166) enarrat praecones populum ad cenam invitavisse et populum frequentem in tentorio cenavisse (1166—1170) et senem ineunte convivio se comiter gessisse (1170—1180) cf. El. 777—796, Hel. 1537—1591. Phoen. 1090 sqq. descriptioni pugnae praemittitur, quomodo Eteocles exercitum constituerit (1090—1101) et mores septem hominum habitusque describuntur (1102—1140) cf. Phoen. 1359—1377 [1]). Or. 871—883. Bacch. 1048—1085 perniciem paulatim in Pentheum ruere videmus: 1048—1063 Pentheus qui Bacchas non bene observare potest, desiderat ut arborem vel montem ascendat; 1064—1085 Dionysus Pentheum in summa arbore ponit et Bacchas in eum concitat [2]).

3) Narratio eo perducitur, unde actio infra continuabitur. — Nuntius postquam ut supra demonstravi descriptionem catastrophae rebus quae catastropham adducunt narratis praeparavit, ad catastropham ipsam accedit. Haec

---

1) iam Phoen. 1240—1258 multa narrata sunt quomodo Eteocles et Polynices pugnam praeparavissent.

2) aliter se habet Bacch. 677 sq., ubi nuntius mores et habitus Baccharum describere in animo habet: quod statim a v. 680 incipere potest.

plerumque maiorem partem narrationis explet cf.: in Med 1167—1203 pernicies Creusae describitur et 1210—1220 pernicies patris. Hipp. 1198—1242 pernicies Hippolyti. Hec. 542—570 de morte Polyxenae agitur: 542—556 eam fortiter mortem subiisse, 557—570 eam honestam et pudicam ut virginem mortuam esse; cf. Heracl. 830—863. Herc. 963—1000 (mors liberorum et Megarae). Suppl. 673—725; I. T. 301—333; 1390—1408. Ion. 1181—1225; El. 803—843; Hel. 1591—1613; Phoen. 1141.—1195; 1377—1422; Or. 884—942 (952). Bacch. 1086—1143 Bacchae postquam multa nequiquam conatae sunt Pentheum denique ex arbore trahunt (—1113); 1114—1143 multis verbis mors Penthei describitur. — Postquam nuntius hoc modo propositum absolvit, non statim epilogum addit, sed plerumque post illam descriptionem exponit quid postea factum sit et quo in statu res nunc sit. Narratio igitur ita finitur, ut actio tragoediae paulo post incipiens finem narrationis continuet neque novum de rebus quae alio loco gestae sunt referri possit i. e. ut finis actionis et initium narrationis sese excipiunt, sic fine narrationis initium actionis praeparatur cf.: in fine narrationis Medeae leguntur hi versus 1220—1221

κεῖνται δὲ νεκροὶ παῖς τε καὶ γέρων πατὴρ
πέλας, ποθεινὴ δακρύουσι συμφορά.

Finis huius narrationis quidem non bonum exemplum praebet ad meam sententiam probandam, quod adventus Iasonis (v 1293) his versibus non praeparatur et hoc loco id solum exprimitur quo in statu res nunc sit; idem in Hec. 571—580. Hipp. 1243—1248. Iam in Andr. 1158—1160 res aliter se habet:

ἡμεῖς δ' ἀναρπάσαντες ὡς τάχος χεροῖν
κομίζομέν νιν σοι κατοιμῶξαι γόοις
κλαῦσαί τε, πρέσβυ, γῆς τε κοσμῆσαι τάφῳ

hic igitur scaena insequens praeparatur; v. 1166 enim corpus Neoptolemi in scaenam fertur. Heracl. 861—863 *δεσμοῖς τε δήσας χεῖρας ἀκροθίνιον κάλλιστον ἥκει τὸν στρατηλάτην ἄγων τὸν ὄλβιον πάροιθε.* haec igitur verba ad adventum Eurysthei spectant. Herc. 1010—1015 versus qui quid

Hercules nunc faciat exprimunt, praeparant eccyclema quo v. 1031 Hercules vinctus cum uxore et liberis necatis ante oculos spectatorum ponitur. Narratio in Supplicibus talem finem non habet, quoniam finitur laudibus Thesei 707—725. Euripides has laudes in finem reiecit certo consilio, ut Atheniensibus gloria patriae ante oculos esset. Corpora autem qninque virorum Eleusin portari quae scaena insequitur v. 798, nuntius per stichomythiam a v. 761 sq. explicat.

I. T. 333—335 *πρὸς δ' ἄνακτα τῆσδε γῆς*
κομίζομέν νιν . ὁ δ' ἐσιδὼν ὅσον τάχος
ἐς χέρνιβάς τε καὶ σφαγεῖ' ἔπεμπέ σοι.

Post haec verba exspectamus adventum Orestis Pyladisque. — In fine alterius nuntii comperimus omnia adhuc in discrimine esse. Itaque haec narratio accessu continuatur Athenae quae quem in finem fuga Graecorum evenerit explicat. Haec igitur scaena fine narrationis quamquam non verbis ipsis, tamen rebus narratis praeparatur. In Ione nuntius postquam consilium senis patefactum esse explanavit, vv. 1217—1225 tradit Creusam a patribus Delphorum capitis damnatam esse et addit hos versus: 1225—1226

πᾶσα δὲ ζητεῖ πόλις
τὴν ἀθλίως σπεύσασαν ἀθλίαν ὁδόν.

Quibus verbis prolatis Ionem expectamus; et v. 1261 procedit. Etiam in El. 855—857

ἔρχεταί δὲ σοὶ
κάρα 'πιδείξων οὐχὶ Γοργόνος φέρων
ἀλλ' ὃν στυγεῖς Αἴγισθον.

In Hel. nuntius talem finem narrationis facere non potest, quoniam Graecorum fugam nulla scaena insequitur. Etiam in Phoen. prior narratio talem finem habere non potest, in altera autem narratio usque ad eum locum producitur ut iam ad scaenam insequentem animum advertamus cf. 1476—1477

ἄλλοι δὲ τοὺς θανόντας 'Αντιγόνης μετὰ
νεκροὺς φέρουσιν ἔνθαδ' οἰκτίσαι φίλοις

hic igitur ad accessum Antigonae respicitur. Or. 943—952

comperimus Orestem damnatum cum Pylade et amicis ad aedem venire; et v. 1013 adveniunt. Bacch. 1144—1145 actio insequens praeparatur.

Hoc modo me demonstravisse puto Euripidem totam lacunam quae in actione personis alibi agentibus orta sit, narratione explere studere et ita quidem ut post Med. Hipp. Hec. eo processerit ut finis narrationis et initium actionis sese excipiant.

4) Denique nuntii totam actionem quae spectatoribus non intuentibus gesta sit, explicare videntur, quod in narrationes saepius res aliquas inserunt quae ad rem ipsam explicandam minoris momenti, hac in re gerenda acciderunt. Has enim res minus necessarias cognoscentes putamus omnia comperisse. Tales digressus raro in narrationibus inveniuntur, primum in Ione 1141—1162 ubi nuntius tabernaculum accurate describit. Aliud apertum exemplum praebent Hel. versus 1554—1568, in quibus nuntius exponit taurum diu repugnavisse. Hoc ad actionem quam explicandam nuntius sibi proposuit, non multum attinet. — Hic etiam multos ex eis quos supra enumeravi locos afferre licet, quibus nuntius res ad propositum illustrandum non necessarias ante oculos ponit velut in El. 776—796 quomodo Aegisthus Orestem invitaverit aut Med. 1144—1155 quibus versibus nuntius scaenam inter Iasonem et Medeam factam accuratissime describit aut in I. T. 264—280 quid pastores de Graecis primo obtutu iudicaverint aut Hipp. 1178—1192. Cur nuntius talia describit? Mea quidem sententia quod spectatores cum singula ante oculos ponuntur se omnia cognovisse sibi fingunt.

Si poeta actionem aliquam per narrationem explicare voluit, id ante omnia studere debuit ut res ante oculos poneret et quasi imaginem verbis depingeret. Artem qua Euripides hoc fecit, explicemus. Hac in quaestione saepius librum Heinzii[1]) et dissertationem quam Peters[2]) nuper de

---

1) Heinze. Virgils epische Technik.

2) Peters. Symbola ad Ovidii artem epicam cognoscendam. Diss. Gott. 1908.

Ovidii arte epica conscripsit, sequi possumus. Sed his in duabus rebus imprimis magna est differentia inter carmina epica et nuntiorum narrationes tragicas: narratio nuntii pars tragoediae est neque per se stare potest; deinde nuntius tragicus ut persona tragoediae cum affectibus et cogitationibus in conspectum nostrum venit. Itaque non ut rhapsodus animo lento et rebus non multum commoto narrare potest[1]), sed rerum particeps esse debet; simul causa afferenda erat, qua haec omnia narrare potuerit.

Hoc eo efficitur quod nuntius eas res solas quas ipse vidit per narrationem profert. Et dum nuntius narrat, nuntii quasi comites sumus et res oculis eius denuo videmus. Nuntius iam ineunte narratione plerumque explicat quomodo ipse res viderit; cf. Med. 1136—1143; Hipp. 1173—1177; Hec. 521—524; Andr. 1085—1087; Heracl. 800—801 (ἀντετάξαμεν). Suppl. 650—652. I. T. 260—268; 1327—1344. El. 774—776. cf. Hel. statim post prima verba vv. 1530—1536; item Phoen. 1098—1101; Or. 866—870. Bacch. 677—679, Bacch. 1043—1047. Exceptis igitur narrationibus Phoenissarum (altera narratione) Herculis Ionis videmus nuntios iam ineuntibus narrationibus verba de se facere[2]). Etiam per totam narrationem nuntius saepius ipse quid fecerit refert: in Hipp. 1178—1197 eum cum Hippolyto ad litus vehi videmus, vv. 1204—1217 taurus quomodo in conspectum suum venerit narrat et simul taurum describit; denique vv. 1243/4 de se agit; idem in Andr. 1100—1103. 1157—1160; I. T. per totam utramque narrationem; item in Hel. 1530—1617; optimum exemplum praebet Phoenissae, ubi nuntius pugnam Argivorum Thebanorumque describens eam tantum partem depingere potest quam ipse Eteoclem secutus vidit cf. v. 1163/4

ἐπεὶ δὲ τάσδ' ἐσεῖδεν εὐτυχεῖς πύλας
ἄλλας ἐπῄει παῖς σός, εἱπόμην δ' ἐγώ

---

1) cf. tamen Wil. Griech. Lit. Gesch. p. 6 de rhapsodis, Robert. Herm. 44, 396 de nuntiis.

2) Etiam his in tragoediis nuntius rebus interfuit cf. Herc. 927 sqq., 1016 sqq., Ion 1185. Phoen. 1461 sqq.

vv. 1170—1171 εἰς ἄλλας πύλας
ἠπειγόμεσθα, τοῦτο παύσαντες νοσοῦν
Sic poeta res quas eodem fere tempore factas esse consentaneum est, ita describit ut altera alteram sequatur.

Quod nuntius res conspectas solas narrat, ad argumentum narrationis ipsius maximi momenti est: nuntius non omnia narrare potest et facta certo ordine proferre coactus est, eo ordine quo in conspectum venerunt; quod nonnullis exemplis demonstremus: in Medea nuntius non statim a primis verbis de Creusa narrare potest, sed demum ex eo tempore quo liberos Iasonemque secutus thalamum Creusae intrat (v. 1142 sqq.). Alter nuntius in I. T. 1336—1344 postquam Orestes et Iphigenia ad litus abscesserunt, id solum enarrat quid pastores inter se fecerint neque quicquam de Oreste et Iphigenia quid fecerint prodit quamquam hoc maioris momenti est. Cum autem comites Tauricos Iphigeniae suspicione commotos ad litus procurrisse v. 1345 narret, iterum de Oreste et Iphigenia narrare potest. Idem in Suppl. valere videtur, in vv. 651—652 *ἀμφὶ δ' Ἠλέκτρας πύλας ἕστην θεατὴς πύργον εὐαγῆ λαβὼν* || *ὁρῶ δὲ κτε.* enim nuntius dicit se in turri stantem exercitum vidisse et v. 653 sqq. aciem usque ad collem Ismenum ductam esse. Sed verba in v. 655 *ὡς μὲν ἦν λόγος* non ferenda sunt quod verba *ὁρῶ δὲ* v. 653 antecesserunt [1]). Nam quomodo homo quisquis est dicere potest: vidi quod audivi. Praeterea nuntius a v. 697 gesta Thesei tam accurate describit, ut v. 655 eum dextrum cornu quo Theseus stetit, non vidisse dixisse non possit. Pro verbis *ὡς μὲν ἦν λόγος* hanc sententiam fuisse puto: ex verbis *τευχεσφόρον μὲν λαὸν κτε.* etiam nunc intellegimus nuntium verba *φῦλα τρία τριῶν στρατευμάτων* explicare: sunt tres partes. Wilamowitzius in editione et Herm. 26, 233 has tres manus intellegit hoc

1) Murray verba *ὡς μὲν ἦν λόγος* explicat: sic saltem illum collem vocari audivi; non recte, nam ex narratione insequente facile intellegitur regionem circa Thebas sitam nuntio notam esse; neque hic sensus verbis *ὡς μὲν ἦν λόγος* exprimi potest.

modo: pedites bipartiti, currus, equites. Sane nuntius duas partes peditatus in unum contrahens exercitum in tres partes divisum esse dicere posset, sed verbis *τρία φῦλα τριῶν στρατευμάτων* haec significatio non inest. Nam *τρία φῦλα* non tria genera armaturae, sed tres acervos significare videntur quod verbum *φῦλον* significat tribus aut homines eiusdem stirpis vel familiae; cf. Hom. B 362 *κρῖν' ἄνδρας κατὰ φῦλα κατὰ φρήτρας*; in verbo *φῦλον* semper significatio gentilicia inest (etiam Soph. Ant. 343. Arist. Av. 1088), nusquam significatio quae ad habitum vel armaturam pertineat. Praeterea Wilamowitzius dicit v. 661 verba *πρὸς κρασπέδοισιν στρατοπέδου τεταγμένον* non significare manum equestrem ab utroque cornu stare. Sed significatio vocis *κράσπεδα* contradicit: semper extremas oras alicuius rei significat cf. Eur. Med. 524. Arist. Vesp. 476; saepius de vestimentis praetentatis dicitur vel de finibus terrarum; cf. Xen. Hell. IV. 216 Eur. Frg. 381 (non recte Wilamowitzius ex hoc loco sententiam suam probare videtur). Quid in exercitu significet, demonstrat. Xen. Hell. III. 2. 16 *τοὺς δὲ πελταστὰς ἐπὶ τὰ κράσπεδα ἑκατέρωθεν καθίστασθαι καὶ τοὺς ἱππέας*. Locus igitur Euripideus *ἐπὶ τοῖς κρασπέδοισιν* nihil aliud significat nisi quod *ἱππότης* ab utroque cornu stat. Et Wilamowitzii sententia plane refelli videtur v. 699

καὶ συμπατάξαντες μέσον πάντα στρατόν [1])

ubi nuntius mediam aciem i. e. inter currus et equites po-

---

1) Blomfield metri causa scripsit *συμπατάξαντ' ἐς μέσον* ratus numerum dualem *συμπατάξαντε* sc. Creon et Theseus hic recte locum tenere. Sed duali Euripides miro modo hic uteretur; praeterea qua ratione de hoc utroque *ἐκτείνοντε* dici potest? *ἔκτεινον ἐκτείνοντο* nihil aliud significat atque pugnam adhuc ambiguam esse (cf. v. 683 *κἀκράτουν ἡσσῶντό τε.*). *συμπατάξαντα* autem non ferendum est, quod verbo *πατάσσω* semper notio transitiva inest neque accusativus, cum *ἔκτεινον ἐκτείνοντο* pro una notione habendum sit, a verbo *ἔκτεινον* solo pendere potest. Quam ob rem Murray transposuit: *στρατὸν δὲ πάντα συμπατάξαντες μέσον*. Sed non est cur mutemus, cum trimetri caesura media in duas partes divisi — pauci quidem exstant — a tragoediis non alieni sint; cf. Goodell. Class. Phil. I 145 sqq.

sitam dimicasse narrat. Et si sumimus equites et currus in utroque cornu positos esse, descriptio pugnae melius intellegitur. Nam si equites et currus ut Wilamowitzius vult iuxta positi essent, una cum curribus equites impetum fecissent. *ἱππότης ὄχλος* autem v. 660 notionem esse quae et currus et equites comprehendat, elucet ex significatione Homerica vocis *ἱππότης*. Nunc etiam verba *ἴσους ἀριθμόν* in v. 662 intellegimus: *ἱππότης ὄχλος* ita ex utraque parte exercitus stat, ut equites et currus eundem numerum expleant. Deinde v. 662 additur currus apud tumulum Amphionis stetisse sc. a cornu dextro, equites igitur a cornu laevo. Et mea quidem sententia versus 659 sqq. recte fluunt neque quicquam traiiciendum. Haec praemonenda, sed redeamus ad *φῦλα τρία τριῶν στρατευμάτων*, ut haec verba aliter explicemus: vv. 657—659 enumerantur incolae Cecropiae et Paralii; Cecropii cum Theseo a dextro cornu aciei stant, Paralii a laevo. Sed hi homines non soli Atticam incolunt. Relinquuntur qui Atticam interiorem ad fines Booetiae sitam incolunt, quae factio rusticorum et fabrorum temporibus Pisistrati maximas partes egit. Nomen horum hominum inter Cecropios et Paralios iure ponitur et sub verbis corruptis *ὡς μὲν ἦν λόγος* subesse necesse est, quamquam verba ipsa Euripidis reperiri posse non puto, quod haud raro in extremis versibus fit[1]). Ad has tres partes nomen *τρία φῦλα* multo melius referri potest quam ad pedites currus equites. Cum equites et currus in utraque parte positi ratione numeri habita in exercitu Attico non magni momenti sint, nuntius eos neglegens iure dicere potest, exercitum tripartitum fuisse[2]). — Etiam verba Suppl. 684—685 suspicionem movent. Nam primi currus arma

1) temptavi: *αὐτουργῶν λόχον* quae verba ut appositio ad *τευχέσφορον λαόν* ponuntur; v. 656 pro *τ'* tradito *δ'* scribendum cui respondet *μὲν* v. 654 et *δὲ* v. 659.

2) quod tertia pars peditatus in proelio describendo vv. 704/5 non commemoratur, hoc forte accidisse potest: pugna in media acie incerta erat (etiam in Phoen. pugna non omnium virorum antea enumeratorum describitur).

conferunt, deinde equites qui pugnam curruum vident, prorumpunt, non in curruum auxilium ut Wilamowitzius dicit, sed ipsi inter se pugnant cf. v. 684 *συνῆψαν ἀλκὴν κἀκράτουν ἡσσῶντό τε.* Sequuntur versus:

λεύσσων δὲ ταῦτα κ' οὐ κλύων. ἐκεῖ γὰρ ἦν
ἔνθ' ἅρματ' ἠγωνίζεθ' οἵτ' ἐπεμβάται.

Versibus insequentibus agitur de pugna curruum, nullum verbum de equitibus. Verbum *ταῦτα* autem ad illam pugnam referri non potest, sed si verba ut fluunt legimus ad pugnam equitum antecedentem. Versibus 684/5 igitur aliquid ineptum inest quod nuntius dicit: pugnam equitum vidi (*λεύσσω δὲ ταῦτα*), cum eo loco steterim quo currus. Deinde si nuntius vv. 684/5 pugnam curruum praeparavit, v. 686 *τἀκεῖ* non intellegitur, sed expectamus pro *ἐκεῖ* vocem *ἔνθεν* vel *ἐνταῦθα*; nam *ἐκεῖ* ad rem supra commemoratam redit. Hanc inconcinnam condicionem verborum solvemus versibus 684/5 deletis. Hi versus ascripti sunt, ut verbum *τἀκεῖ* explicarent, sed voce *ἐκεῖ* quae illo loco significat, iam satis apertum fit nuntium a pugna equitum ad currus redire. Simul is qui versus 684/5 composuit fortasse observavit in descriptione insequente nihil de pugna equitum dici et causam affere voluit cur nuntius de ea non plus referre posset. Sed eam legem Euripideam supra constitutam non novit: nam quomodo nuntius de pugna equitum vv. 680—683 narrare potuit, nisi eam vidit?

Poetam autem id ante omnia ut nuntius res conspectas solas narraret curasse[1]) versus Phoen. 1139—1140 probare videntur:

παρῆν ἑκάστου τῶνδέ μοι θεάματα
ξύνθημα παραφέροντι ποιμέσιν λόχων.

hic nuntius quamquam quomodo res viderit afferre re ipsa non cogitur, tamen hoc addit quasi respondens alicui qui eum quo pacto scuta tam accurate describere possit interrogat.

---

1) prooemia narrationum Sophoclearum saepius ab hac sententia fiunt; cf. p. 51/2.

Supra statuimus nuntium id solum narrare quod vidit. Cum igitur nuntius non omnia describere possit, hanc legem narrationem severis vinculis circumclusisse elucet. Et poeta cum res nuntio non inspiciente gestas per narrationem proferre cogebatur, hanc legem solvit. Exemplum perspicuum in Eur. Andr. habemus; nam nuntius, famulus Neoptolemi, verba Orestis audivisse non potest, cum eum clam hominibus persuasisse consentaneum sit. In Ione 1184 sq. nuntius senem venenum immiscuisse narrat et ipse addit se hoc postea comperisse.

Denique ordo quo nuntius narrare solet, laeditur, si nuntius in rebus narrandis priore loco ad res nondum narratas respicit. Quamquam hoc facile imprimis ea de causa fieri potuit quod ante longam narrationem per dialogum summa rerum gestarum breviter exponitur, tamen nuntius raro finem narrationis anticipat. Exempla enim sola exstant in I. T. (altera narratione) et in Hel. quae narrationes quod argumentum attinet simillimae sunt. cf. I. T. 1328.

οὗ ναῦς Ὀρέστου κρύφιος ἦν ὡρμισμένη

hic igitur iam de nave Orestis narratur, quamquam demum ex rebus quae postea acciderunt cognoscimus eam adfuisse; cf. 1336. Hel. 1529 *πόσιν πέλας παρόντα κοὐκ τεθνηκότα* nuntius priusquam dolum Helenae aperuit narrat eam subdole gemuisse et Menelaum adfuisse; cf. 1537/8, 1547, 1572, 1574/5. Ceteris in narrationibus ordo temporum servatur.

Quod nuntius id quod narrat ipse vidit, animus rebus maxime commovetur et narratio semper affectus plena est [2]). Nuntius scaenam intrat affectionibus agitatus; cf. Med. 1121—1123:

ὦ δεινὸν ἔργον παρανόμως εἰργασμένη

Μήδεια φεῦγε φεῦγε [3]). Hipp. 1153 nuntius summo dolore

---

1) huc non refero Bacch. 1058 *Πενθεὺς ὁ τλήμων*, ubi nuntius Pentheum miserum vocat antequam de misero exitu Penthei narravit.

2) Robert. Herm. 44. 396.

3) Lenting delet v. 1121, Murray vv. 1122/3. vv. 1122/3 certe tenendi sunt quod v. 1124 *τί δ' ἄξιόν μοι τῆσδε τυγχάνει φυγῆς* demon

de morte domini affectus est (cf. quod chorus de eo dicit) et sedata voce loquitur. Hec. 484 Talthybius dolore et misericordia commovetur. Hos autem affectus a primo adventu in pectus suum relegat neque clamitat aut queritur. Andr. 1070 *ὤμοι μοι· οἵας ὁ τλήμων ἀγγελῶν ἥκω τύχας* fata domini queritur. Heracl. 784 nuntius alacriter advenit; hoc eo demonstratur, quod nemine interrogante argumentum narrationis profert v. 786/7; idem in Suppl. 634 sq., El. 761 sqq. In Herc. 910 rebus quas domi vidit oppressus et quasi contusus prima verba abrupta pronuntiat. I. T. 238 sq. de pastore quid sentiat nihil dicitur: venit ut nuntiet; item Bacch. 660. Alter nuntius in I. T. 1284 fuga Graecorum excitatus et iratus prima verba magno cum impetu emittit. Ion. 1106 sq. nuntius de domina timet. Hel. 1513 nuntius currens in scaenam venit. Phoen. 1067 sq. duobus affectibus agitatur: gaudet de victoria Thebanorum, maeretur de futuro certamine fratrum. Nuntius his duobus affectibus commotus in accessu nullum affectum ostendit. Phoen. 1217 sqq. alter nuntius aegre fert quod de certamine narrare cogitur. Hic igitur affectus non rebus visis, sed narrando efficitur. Phoen. 1335 nuntius caede fratrum alterna oppressus se nuntium huius rei miserae esse queritur. Or. 852 misericordia nuntii iam ex primis verbis intellegitur, in Bacch. 1024 magnus dolor.

Nuntius quoniam affectus iam primis verbis ostendit, narrationem affectus expertem proferre non potest; attamen eos iam ab initio narrationis reprimens rarissime affectus quibus commovetur aut cogitationes in descriptionem inserit. Itaque hi affectus intrinsecus narrationes complent et colore narrandi exprimuntur aut verbis quae quidem narrationem non interrumpunt, tamen affectus cogitationesque ostendunt. Et Talthybius quomodo dum narret commoveatur ipsis verbis narrationi praemissis indicat: Hec. 518/20

---

stratur antea aliquid de fuga dictum esse. De. v. 1121 dubitare possumus.

διπλᾶ με χρήζεις δάκρυα κερδᾶναι γύναι
σῆς παιδὸς οἴκτῳ· νῦν τε γὰρ λέγων κακὰ
τέγξω τόδ ὄμμα, πρὸς τάφῳ θ' ὅτ' ὤλλυτο.

Talthybius igitur ipse dicit se mortem Polyxenae referentem lacrimare et durum pectus mollitum esse[1]). Saepissime affectus nuntii ex singulis adiectivis cognoscimus quae de personis miseris adhibentur: cf. de dominis: Hipp. 1236 *αὐτὸς ὁ δ' τλήμων ἡνίαισιν ἐμπλακείς*, 1247 *τὸ δύστηνον τέρας*. Ion. 1225 *τὴν ἀθλίως σπεύσασαν ἀθλίαν ὁδόν*. Hec. 562 *πάντων τλημονέστατον λόγον*. Phoen. 1430. Bacch. 1058, 1126, 1139, 1144; de aliis personis quarum ex parte nuntius non stat: Med. 1184 *ἡ τάλαινα* (de Creusa). 1189; 1204. 1218. Phoen. 1414. Nuntii interdum narrationem ita finiunt ut affectus verbis insitus sit; cf. Med. 1220 *κεῖνται δὲ νεκροὶ παῖς τε καὶ γέρων πατὴρ πέλας, ποθεινὴ δακρύοισι συμφορά*. Haec verba dolore et misericordia quasi imbuta sunt, quod et ex verbis *ποθεινὴ δακρύοισι συμφορά* intellegimus et tota sententia dolorem exprimit: nuntius ad fortunam miseram patris et filiae respiciens summam paucis verbis comprehendit; idem Andr. 1159/60, Herc. 1073/4, Phoen. 1423/4, 1458/9 (in fine partis). Or. 951/2. In Or. 879 nuntius maerorem quo dum narrat afficitur, indicat his verbis: *ὁρῶ δ' ἀέλπτον φάσμ' ὅ μήποτ' ὤφελον* cf. Phoen. 1222: *εἰς κοινὸν οἷον μήποτ' ὤφελον λόγον*. Nuntius in Ion. 1185 amorem Creusae et misericordiam exprimit, quod dubitat an Creusa re vera venenum dederit, his verbis: *ὅ φασι δοῦναι φάρμακον δραστήριον*. Etiam in rebus describendis nuntius saepius affectus quibus commovetur prodit. Tales enim questus miserrimos quales in Hipp. 1240—1242 aut Bacch. 1118—1121 is solus refert, qui ipse his questibus commovetur. Et omnino id saepissime affectus nuntii demonstrat quod nuntius calamitatem accuratissime describit; cf. e. g. imaginem quam nuntius depingit quod

---

1) cf. eandem sententiam in Aesch. Prom. 642/3 *καίτοι καὶ λέγουσ' ὀδύρομαι || θεόσσυτον χειμῶνα καὶ διαφθορὰν*. Soph. O. C. 363/4 *δὶς γὰρ οὐχὶ βούλομαι πονοῦσα τ' ἀλγεῖν καὶ λέγουσ' αὖθις πάλιν*.

Bacch. 1117/8 verbo *λέγειν* addit *παρηίδος ψαύων* aut 1130 *ῥήγνυσα σάρκας* aut Herc. 993 *ἐς ξανθὸν κάρα*. Tales res observare et reddere potest is solus qui rebus gestis maxime commotus est atque etiam nunc commovetur[1]).

Quamquam ut exposui nuntius dum narrat, rebus gestis maxime commovetur et hos affectus sine dubio arte recitandi ostendit, tamen eos rarissime compluribus verbis exprimit quippe quod narratio rumperetur. Et prioribus in tragoediis (excepta Heraclidis retracta) nuntius narrationem affectibus aut cogitationibus non interrumpit, in Oreste autem compluribus locis; cf. 895/8

τὸ γὰρ γένος τοιοῦτον· ἐπὶ τὸν εὐτυχῆ
πηδῶσ' ἀεὶ κήρυκες· ὅδε δ' αὐτοῖς φίλος
ὃς ἂν δύνηται πόλεος ἔν τ' ἀρχαῖσιν ᾖ

et 907—913 et v. 920, in quibus vir honestus et demagogus inter se opponuntur. Sed vv. 907—913 certe delendi sunt; viri docti multa non Euripidea in his versibus invenerunt: Hermann in editione eiecit v. 913 (898), quod hic versus esset interpretatio in formam trimetri redacta et ascripta ad ea quae sequuntur, Kirchhoff delet 907—913; Nauck 912/3. Quoniam constat Euripidem demagogos et vulgi perturbatores odisse et per tragoedias res publicas perstringere (cf. v. Wil. Herc. I[1] p. 13), non est quod dubitemus ea quae scholia tradunt recta esse; viri certe docti qui ea de hoc loco conscripserunt, dicunt his versibus peti Cleophontem demagogum, qui homo Thrax contra pacem cum Lacedaemoniis faciendam dixerit (cf. scholia in v. 903 et 571) versibus 905/6 igitur carere non possumus, quod verba *ἀθυρόγλωσσος* — *ἠναγκασμένος* ad illum hominem indicandum non satis sunt. Sed quod sequitur in suspicionem vocandum est. Nuntius enim instituit generalem

---

1) in monodia Phrygis hi affectus metris et arte musica expressi sunt. Et sic affectuum in ceteris narrationibus ratione habita intellegimus facile accidere potuisse ut hae narrationes ad monodiam adducerentur.

et tam verbosam disputationem, ut longe a proposito aberret. Itaque quod nuntius v. 914 verbis ὅς εἶπε ad demagogum redit paene ignoramus de quo dicat [1]). Deinde v. 907 obstat eis quae antea dicta sunt; ἡδύς τις λόγοις ad illum Argivum non Argivum referendum est, quamquam vv. 904/5 contraria de moribus eius dicebantur. Praeterea v. 909 χρηστὰ βουλεύουσ' ἀεὶ ex v. 772: χρηστὰ βουλεύουσ' ἀεὶ quo loco item de demagogis agitur, fluxisse videtur. Denique verba πιθανὸς ἐπ' αὐτοὺς περιβαλεῖν κακῷ τινι optime cum ὅς εἶπ' Ὀρέστης κτε. coniunguntur, cum post illa verba expectemus quid demagogus acturus sit. His demonstratur versus 907—913 in narratione locum non recte tenere. — Quamquam narratio nuntii etiam aliis locis interpolata est (v. 916 Weil delet et v. 933 et v. 938—941; Schenkl: 938 et 941), vv. 895/8 ab Euripide abiudicare non audeo, quod alia argumenta in eos proferri non possunt. — Praeterea in priore narratione Baccharum duo loci exstant, quibus nuntius contra opionionem Penthei pugnare apertum est; cf. Bacch. 686:

οὐχ ὡς σὺ φῄς
ᾠνωμένας κρατῆρι καὶ λωτοῦ ψόφῳ
θηρᾶν καθ' ὕλην Κύπριν ἠνεμωμένας et 712/3
τὸν θεὸν τὸν νῦν ψέγεις
εὐχαῖσιν ἂν μετῆλθες εἰσιδὼν τάδε.

Denique in tribus narrationibus catastropharum; cf. Heracl. 816—817 εἶτα τοιοῦτος γεγὼς τοὺς Ἡρακλείους ἦλθε δουλεύσας γόνους et Phoen. 1369 (cf. 1220):

αἴσχιστον αἰτῶν στέφανον ὁμογενῆ κτανεῖν
et Phoen. 1161: οὐδ' ἀποίσεται βίον
τῇ καλλιτόξῳ μητρὶ Μαινάλου κόρῃ

aliquid profertur quod non ad rem ipsam enarrandam pertineat. In Phoen. 1161/2 autem nuntius utitur forma Homerica; cf. M. 113.

---

1) eodem modo coniungitur paulo post descriptio morum et verborum quibus vir honestus causam Orestis defendit v. 922
ἀκέραιος ἀνεπίπληκτος ἠσκηκὼς βίον ὃς εἶπ' Ὀρέστην κτε.

Mores et genus nuntiorum speciem narrationum non commutant, quod ἠθοποιία nuntiorum ab Euripide non exprimitur: omnes eodem modo narrant et semper apud Euripidem homines humili loco nati, servi famuli comites, partes nuntii agunt; cf. Rassow § 5. Hoc modo mens spectatorum a persona quae narrat ad rem convertitur[1]. Ergo etiam hic iudicium Wilamowitzii Lessingium secuti valet: A. E. p. 202: »nec puto veri nihil vidisse Lessingium cum Euripidem curavisse coniiceret ne spectatorum animi in rebus minus gravibus detinerentur attentionemve animi desumerent; ipsam noluisse artem et diligentiam in aliis ponere quam quibus tragica vis manifestaretur.« — Una persona in Oreste — praeter Phrygem — suum locum inter nuntios Euripideos obtinet. Nuntius ut ipse dicit, colonus ab Agamemnone in agris altus atque sustentatus vir bonus et innocens et antiqua virtute est cf. v. 870 sqq. Itaque odit eos qui ambigue loquuntur ut praecones et demagogos qui populum corrumpant et amat eos qui probe et simpliciter quid ipsi sentiant dicunt. Quaedam fortasse loquacitas nuntii eo indicatur quod suas sententias saepius in narrationem nectit. — Cum igitur Euripides plerumque — Orestes a. 408 docta est — ἠθοποιίαν neglegat, narrationes nuntiorum eo magis unam certam formam prae se ferunt.

Nuntium per longam narrationem non omnia quomodo facta sint, describere posse apertum est, quod narratio tum maiora spatia occupavisset. Sed quodcumque nuntius in narratione commemorat, accurate describit neque umquam rem paucis verbis perstringit, sed rem propositam etiamsi non magni momenti est accurate describit. Hoc in posterioribus tragoediis melius observare possumus. Optimum enim exemplum praebet Electra: 777—796 nuntius narrat, quomodo Aegisthus Orestem invitaverit, 797—802 famuli sacrificium praeparant. 803—843 quo modo Aegisthus ipse facultatem sui caedendi dederit. 844—855 Orestes satel-

---

1) item Schillerus in Wallenstein per centurionem Theklae mortem sponsi enarrat.

lites Aegisthi placat. Haec omnia accuratissime describuntur, nullo loco aliqua actio paucis verbis absolvitur. Hel. 1530—1536 Aegyptii navem parant, 1537—1553 Graeci veniunt et iussu Menelai navem conscendunt, Aegyptii suspicantur. 1554—1575 omnia in navem feruntur et homines ascendunt et in altum vehuntur, 1577—1591 Menelaus imperat, ut a remis desistant, ipse Neptunum orat, Aegyptiorum suspicio augetur, vv. 1591—1613 de pugna Graecorum et Aegyptiorum et de fuga agunt. Haec omnia aequabiliter explicantur neque ullo loco[1]) narrationem alio modo fluere observamus. Alia exempla apta inveniuntur in ambabus narrationibus Iphigeniae Tauricae et Baccharum atque etiam in Hippolyto profectio Hippolyti et pernicies pari modo narrantur[2]).

Praeterea autem narrationes exstant, quibus nuntius omnes res non eadem diligentia explicat, sed eas partim accurate describit partim paucis verbis commemorat. Hoc modo efficitur, ut dum singula tantum certo comperimus, cetera cogitationibus fingamus. Initio agam de tribus locis quibus nuntius res priores multis verbis ante oculos ponit, insequentes autem breviter perstringit. Med. 1144—1155 nuntius describit quomodo Iason cum liberis a Creusa acceptus sit; haec imago multis verbis depingitur. Creusam autem vestem et ornamentum accepisse — id quod ad actionem maioris momenti est — paucis tantum absolvit: *ἡ δ᾽ ὡς ἐσεῖδε κόσμον οὐκ ἠνέσχετο || ἀλλ᾽ ᾔνεσ᾽ ἀνδρὶ πάντα.* Res tam breviter commemorata non minus quidem manifesta est, sed nos imaginem ex verbis poetae nobis fingere necessarium est, non ipsis verbis poetae depingitur sc. Creusam ut puellam munditiei studiosam verba mariti non curasse,

1) Brevius nuntius vv. 1554/5
καὶ τἄλλα μὲν δὴ ῥαδίως εἴσω νεὼς ἐθέμεθα κουφίζοντα
narrat, quomodo res in navem portatae sint; insequitur descriptio tauri contumacis.

2) Antea iam demonstravi narrationes nuntiorum esse bipartitas: prima parte pernicies praeparatur, altera describitur.

sed ornamenta oculos et mentem corripuisse. Alterum exemplum in Jone 1146—1162 exstat: tectum tabernaculi accuratissime describitur, imaginum autem quae in parietibus depictae erant, tituli soli afferuntur. Deinde quomodo praecones populum invitaverint et populus cenaverit, brevius vv. 1166—1170 narratur. Etiam in prima parte descriptionis quam nuntius in Andromacha profert, inaequabiliter narratur. Nuntius enim 1090—1099 accurate describit quomodo Orestes populum qui Delphos incolit et magistratus sibi conciliaverit; item vv. 1100—1111 incolas Neoptolemum comitesque magna cum suspicione conspexisse; vv. 1111—1115 autem paucis tantum verbis refert Neoptolemum in templum iisse quo Orestes ei insidias paraverit; nullo igitur loco — quod post illas subtiles descriptiones exspectamus — describit quomodo Orestes homines ad caedem committendam conduxerit et insidias paraverit. Tales debilitates descriptionis in catastropha ipsa explicanda non inveniuntur nisi in Or. 884—890; hac enim in narratione nuntius orationes quibus habitis Orestes damnatus sit, reddere sibi proposuit; oratio autem Orestis multo accuratius verbis derectis refertur quam ceterorum Argivorum. Poeta hoc ea de causa fecit, quod orationem Orestis ut comperiamus maioris momenti est et oratio Orestis quae in fine enumerationis orationum ponitur verbis ipsis allatis in maius effertur.

Pars narrationis efficitur, cum aliqua actio ad quendam finem deducitur. Et saepius ex ipsa descriptione cognoscimus partem finiri; velut nuntius in Medea descriptionem amoris quo Creusa rebus inanibus studet, hoc modo finit vv. 1163—1166

κἄπειτ᾽ ἀναστᾶσ᾽ ἐκ θρόνων διέρχεται
στέγας, ἁβρὸν βαίνουσα παλλεύκῳ ποδί,
δώροις ὑπερχαίρουσα, πολλὰ πολλάκις
τένοντ᾽ ἐς ὀρθὸν ὄμμασι σκοπουμένη

actio igitur subsistit neque res nova fit: ita momentum temporis quod catastropham antecedit, describitur ut rem iam in discrimine esse sentiamus et mox catastropham

Creusam oppressuram esse. Similiter in Andr. 1145/6 nuntius Neoptolemum hostibus victis gloriantem describit

ἐν εὐδίᾳ δέ πως
ἔστη φαέννοις δεσπότης στίλβων ὅπλοις.

quoniam autem scimus Neoptolemum ab Oreste caesum esse, exspectamus rem post haec verba commutatum iri. Bacch. 1084/5 in fine partis refertur quid res antea gestae ad naturam loci pertineant:

σίγησε δ' αἰθὴρ, σῖγα δ' εὔλειμος νάπη
φῦλλ' εἶχε, θηρῶν οὐκ ἂν ἤκουσας βοὴν

silentium quod totam naturam obtinet, actiones dei insequitur et indicat totam naturam res divinas sensisse; et quoniam hoc simul homines commovit ex talibus versibus affectus cogitationesque hominum, qui aderant concludere possumus. Idem Hec. 533 *νήνεμον δ' ἐστησ' ὄχλον.* Aliud exemplum inest in Med. 1179/80 *ἅπασα δέ στέγη πυκνοῖσιν ἐκτύπει δρομήμασιν.* hic in fine partis describitur, quomodo id quod famuli faciant totam aedem perturbaverit et angor hominum qui hoc audiunt augetur; cf. El. 802 verba *πᾶσα ἐκτύπει στέγη* in fine partis posita animos famulorum studiosos produnt. Huc pertinet quod saepius in finibus partium nuntius a descriptione rei quam sibi proposuit, deflectit et verba vel affectus vel cogitationes eorum qui aderant, imprimis famulorum, affert; cf. Med. 1202/3 *πᾶσι δ' ἦν φόβος θιγεῖν νεκροῦ· τύχην γὰρ εἴχομεν διδάσκαλον* et Herc. 950/2 *διπλοῦς δ' ὀπαδοῖς ἦν γέλως φόβος θ' ὁμοῦ καί τις τόδ' εἶπεν, ἄλλος ἐς ἄλλον δρακὼν Παίζει πρὸς ἡμᾶς δεσπότης ἢ μαίνεται*; antea vv. 928—949 narratum est, quomodo insania Herculis incipiat: proficiscitur Mycenas, deinde 953—963 Mycenas advenit. Inter has duas partes ponuntur verba et affectus famulorum, quibus versibus prior pars finitur, nam verba famulorum cum rebus antea commemoratis cohaerent. Non recte igitur Murray in editione post v. 949 partem finiri indicat. Alia exempla in Hipp. 1216/7; Jon. 1205/6; Hel. 1549/53; 1589/91; Phoen. 1388/9. 1395. Or. 901/2. 930/1. Sui generis sunt epilogi partium in Phoen.

1139/40, quibus nuntius descriptionem septem virorum finit afferens quomodo omnia viderit et Bacch. 712/3

ὥστ' εἰ παρῆσθα τὸν θεὸν τὸν νῦν ψέγεις
εὐχαῖσιν ἂν μετῆλθες εἰσιδὼν τάδε,

ubi nuntius in fine descriptionis Pentheum appellat; cf. 746/7 ubi nuntius in fine partis similitudinem ponit qua Pentheum alloquitur.

Initium partium quae in narrationibus seiungi possunt, Euripides saepius ab iisdem verbis fecit[1]). Iam primo obtutu videmus plurimas narrationes nuntiorum verbo ἐπεί incipere sc. nuntius primo enuntiato narrationis res quae antecesserunt, breviter comprehendit et indicat, a quo tempore incipere velit; locos cf. apud Rassowium § 7. Etiam in narratione ipsa nuntium voce ἐπεί partem novam incipere invenimus. Hic igitur indicatur, alteram partem finitam esse et novam incipere; cf. Med. 1211 ἐπεὶ δὲ θρήνων καὶ γοων ἐπαύσατο quo versu questus patris nuntius finit ut ad ea quae eos insecuta sunt accedat sc. exitum Creontis enarret. item in Hipp. 1198. Hec. 571 (cf. 557 κἀπεὶ); Heracl. 830. Hel. 1577; Phoen. 1377. Or. 884. Aliud tale verbum, quo initium partis alicuius indicatur, est κἀν τῷδε; hoc significat actionem aliquam in aliam incidisse aut simul factam esse; cf. Hipp. 1194 κἀν τῷδ' ἐπῆγε κέντρον ἐς χεῖρας λαβών cf. Suppl. 707; Ion. 1196 I. T. 281, 301, 1379; Hel. 1537. Phoen. 1396 cf. Or. 902 κἀπὶ τῷδε. Similes partes agit vox τοὐνθένδε Med. 1167. Hipp. 1185, Herc. 1001 κἀνθένδε. — Postquam nuntius ineunte narratione exposuit qua in occasione res gestas viderit, descriptionem rerum saepius verbis ὁρῶ δέ incipit; cf. Supp. 650 sqq. Phoen. 1165. Or. 871 (cf. 879) Bacch. 680.

Poeta res narrandas saepius non ipsas describit, sed enarrat affectus quibus animi omnium qui aderant vel famulorum vel nuntii affecti sint. Ita efficitur, ut cum illis

1) copia igitur verborum quae in narrationibus adhibentur, non magna est. Etiam hac ex parte Euripides ut animos Atheniensium ad res narrandas, non ad genus narrandi verteret, curasse videtur.

hominibus sentiamus et perspicientes quid res aliqua in animis aliorum confecerit, eam melius animo comprehendamus. Talem descriptionem per circuitum factam vel indirectam nominare possumus; e. g. Med. 1136—1143 nuntius depingit gaudium curas expulisse, cum Iaso et liberi venerint. Optimum exemplum sequitur Med. 1167—1180, ubi nuntius calamitatem subito in Creusam ruentem omnes famulos perturbavisse narrat v. 1167 *τοὐνθένδε μέντοι δεινὸν ἦν θέαμ' ἰδεῖν· χροιὰν γὰρ κτε.* Versibus a 1171 insequentibus nuntius narrat famulam quae perniciem dominae viderit, maxime perturbatam clamasse et denique omnes fugisse. Hoc modo et atrocitatem perniciei ex perturbatione famulorum cognoscimus et una eam ipsis verbis describere locus est (1167—1170, 1173—1175). Denique v. 1202—1203 nuntius ad famulos redit quos trepidasse dicit. Hipp. 1173—1177: etiam in hac tragoedia nuntius ab affectibus famulorum proficiscitur quos sorte Hippolyti profligatos lacrimasse narrat; deinde v. 1204/5 *παρ ἡμῖν ἦν φόβος νεανικὸς || πόθεν ποτ' εἴη φθόγγος*: famuli sollicitati circumspiciunt et prodigium e mari enixum vident. Hoc igitur quomodo in conspectum famulorum venerit, quasi oculis eorum videmus cf. vv. 1216/7 qui hanc descriptionem finiunt: *εἰσορῶσι δὲ κρεῖσσον θέαμα δεργμάτων ἐφαίνετο* iterum de famulis quid prodigium videntes senserint, narrat. cf. Herc. 952. Suppl. 718/9. Ion. 1205/6. I. T. 1339—1344 depingitur suspicio pastorum qui cantus Iphigeniae audiunt. cf. Hel. 1549/51 et 1589/91. Phoen. 1388/9 nuntius pugnam diram fuisse exprimit de spectatoribus referens

πλείων δὲ τοῖς ὁρῶσιν ἐστάλασσ' ἱδρὼς
ἢ τοῖσι δρῶσι, διὰ φίλων ὀρρωδίαν.

Hic mihi etiam ei affectus referendi videntur, quos omnes homines commovisse ex ipsa descriptione intellegimus. Quibus locis nuntius de rebus quas describit, talibus verbis utitur ut omnes homines qui eis interfuerunt commotos esse sentiamus. Etiam hi affectus ut ita dicam verbis insiti efficiunt, ut rem narrandam melius comprehendamus. Hoc imprimis in rebus sacris narrandis invenitur; cf. Herc.

923—927: nuntius a sacrificiis paratis narrare incipit et 925/7 exprimit hilaritatem et pietatem quae in sacrificiis instituendis omnemquemque et quasi totas aedes et omnem rem affecerit; hoc ex ipsa descriptione cognoscimus; cf.

χορὸς δὲ καλλίμορφος εἱστήκει τέκνων
πατήρ τε Μεγάρα τ᾽, ἐν κύκλῳ δ᾽ ἤδη κανοῦν
εἵλικτο βωμῷ, φθέγμα δ᾽ ὅσιον εἴχομεν.

Omnes ad aram Iovis stant: liberi pater uxor; in canistris *τὸ ἄλφεον* adest; iam canere incipiunt[1]). Miramur artem poetae qui insaniae Herculis descriptionem pietatis et tranquillitatis praemisit. — Saepius in descriptione sacrificii brevi enuntatione additur omnes tacuisse: hoc demonstratur omnes sanctitatem actionis sensisse; cf. Hec. 533. Ion. 1194. Bacch. 1084/5.

Mores hominum nuntius plerunque non ipsis verbis depingit, sed eos ex rebus quas homines agunt cognoscimus. Quamobrem in nonnullis tantum narrationibus mores hominum ex rebus narratis concludere possumus[2]). Optimum exemplum Medea praebet; nuntius enim mores Creusae ea de causa quod Creusa nullo loco tragoediae in scaenam venit accuratissime describit: virgo quae amore Iasonis calescit sponsum intrantem oculis capit, sed liberos videns statim se avertit. Cur? Mea quidem sententia Creusa odit liberos alia matre natos quod meminit Iasonem liberos, pignora prioris amoris, amantem se non tantopere amare quam si liberi non adessent. Et Creusae non tam verbis Iasonis quam donis persuadetur. Statim vestem induit et coronam auream capiti imponit et ante speculum crines componit; 1163/6 puellarum more ornamento delectatur: quasi oculis puellam videmus:

κἄπειτ᾽ ἀναστᾶσ᾽ ἐκ θρόνων διέρχεται
στέγας, ἁβρὸν βαίνουσα παλλεύκῳ ποδὶ
δώροις ὑπερχαίρουσα πολλὰ πολλάκις
τένοντ᾽ ἐς ὄρθον ὄμμασι σκοπουμένη.

---

1) verbum *σιωπῇ* v. 930 iam ad insaniam Herculis pertinet.

2) cf. Ivo Bruns, Das literarische Porträt, p. 58 ff.

hilaritas animi ex omnibus actionibus et ex ipsa descriptione (cf. in duobus versibus agnominationem) intellegitur[1]. Hic igitur bonam imaginem habemus, sed de moribus Iasonis et Creontis nihil comperimus. — In Hippolyti nuntio descriptio morum non magnum spatium occupat. Ex verbis Hippolyti 1182—1184 et 1191—1193 et 1240—1243 manifestum fit eum sortem magno cum dolore ferentem probitatem animi et constantiam servare. — In Hec. imago Polyxenae a Talthybio summo cum studio depingitur: eam fortiter et pudice ut virginem mortem subiisse, de moribus autem Neoptolemi nihil cognoscimus. Ex narratione Andromachae cognoscimus Orestem dolosum et Neoptolemum fortem se gessisse; praeterea e rebus gestis mores Apollinis aperti fiunt quos nuntius ipse in epilogo comprehendit 1162/3. Narratio Heraclidarum ignaviam Eurysthi demonstrat, de moribus aliorum non multum comperimus. Ex narratione Herculis nihil de moribus Herculis concludere possumus. In Suppl. 707—718 laudes Demophontis longum spatium obtinent; et hic mores ipsis verbis describuntur. In I. T. priore nuntio et mores singulorum pastorum qui ipsis verbis exprimuntur et fidem amicorum cognoscimus In El. 775—780 Aegisthum timidum et Orestem dolosum videmus. Etiam in Hel. 1526—1618 Graeci dolosi et violenti (item in altero nuntio Iphigeniae Tauricae). In Phoen. nuntius habitum ducum ita describit ut nil de moribus sequatur; v. 1134 solo in scuto Adrasti depingendo addit *Ἀργεῖον αὔχημα*[2]. In Oreste 866—956 mores trium hominum ipsis verbis describuntur. In Baccharum altera nar-

1) Ut in Hercule, sic etiam hoc loco imago pacis et tranquillitatis catastrophae describendae praecedit.

2) hoc de omnibus Argivis dicitur qui olim temporibus Agamemnonis potentes semper studuerunt hanc potestatem recuperare et Lacedaemonios opprimere. cf. Cauer in Pauly-Wissowa R. E. sub voce Argolis. Euripides igitur dubitat an Argivi hoc imperium in Peloponneso tam magnum habuerint et censet eos non iure de hac re gloriari. Item aequalis Thucydides I. 9 et 10 de potentia quam temporibus Agamemnonis se habuisse Argivi iactaverunt, iudicat.

ratione cognoscimus Dionysum dolosum atque mendacem se gessisse.

In omnibus nuntiorum narrationibus quae exstant Euripidis in tragoediis, nuntius orationes aliquorum hominum directas affert. Itaque homines de quibus nuntius refert, non solum videmus, sed etiam audimus quid dixerint. Nuntius enim sine dubio verba quae directa per narrationem protulit, modo recitandi a narratione distinxit atque etiam singulos homines loquentes voce imitatus est; cf. Quint. I. 8. 3: nec prosopopoeias ut quibusdam placet, ad comicum morem pronuntiari velim, esse tamen fluxum quendam, quo distinguantur ab aliis, in quibus poeta persona sua utitur et q. s. Quod igitur vocem hominum audimus, tota res magis perspicua in aspectum venit. Euripidem autem hoc in verbis hominum ipsis afferendis spectasse ex eo intelligimus quod in tragoediis posterioribus, imprimis in El. I. T. Or., naturam hominum loquentium multo melius reddit quam in prioribus; cf: Med. 1151—1155 verba Iasonis quibus Creusam admonet afferuntur; quod autem Creusa respondet verbis *ᾔνεσ' ἀνδρὶ πάντα* exprimitur. Deinde questus Creontis vv. 1207—1210 redduntur. Etiam in Hippolyti narratione (1182—1184; 1191—1193; 1240—1242) verba directa non magnum spatium occupant; praeterea poeta verba 1191—1193

Ζεῦ, μηκέτ' εἴην, εἰ κακὸς πέφυκ' ἀνήρ,
αἴσθοιτο δ' ἡμᾶς ὡς ἀτιμάζει πατὴρ
ἤτοι θανόντας ἢ φάος δεδορκότας· et 1240 sq.
Στῆτ' ὦ φάτναισι ταῖς ἐμαῖς τεθραμμέναι
μή μ' ἐξαλείψητ'· ὦ πατρὸς τάλαιν' ἀρὰ
τίς ἄνδρ' ἄριστον βούλεται σῶσαι παρών

certo consilio proferre videtur. Cum enim Hippolytus utroque loco ad exsecrationem patris respiciat, haec verba potius ut Theseum moveant dicuntur quam ut vera verba Hippolyti reddant, cf. v. Wil. Eur. Hipp. p. 232/3; quod in aliis nuntiis Euripideis non fit. In Hec. 518—582 Talthybius verba hominum directa affert haec: 523—524; 534—541; 547—552; 563—565; 577—580. In Andr.

1092—1095 versus 1104—1108 continent primum diverbium quod nuntii Euripidei imitantur.

καί τις τόδ εἶπεν· ὦ νεανία, τί σοι
θεῷ κατευξώμεσθα; τίνος ἥκεις χάριν;
ὅδ' εἶπε· Φοίβῳ τῆς πάροιθεν ἁμαρτίας.

vv. 1123—1126 Neoptolemus homines interrogat, sed nemo respondet; praeterea oratio directa invenitur: Herc. 936—946, 952, 965—967, 975—976, 982—983, 988—989. Heracl. 804—810, 826—827, 839/40 nuntius clamorem pugnantium eodem modo reddit quo in pugna auditur:

Ὦ τὰς Ἀθήνας — Ὦ τὸν Ἀργείων γύην
σπείροντες — οὐκ ἀρήξετ' αἰσχύνην πόλει.

Suppl. 669—672; 702, 711—712. I. T. 267—280 pastor enarrat, quid pastores inter se deliberaverint; prima verba directa affert, verba autem insequentia per orationem obliquam 275—278, 279—280. Versibus 285—291 verba Orestis ut insania describatur afferuntur; vv. 321—322 verba Orestis quibus amicum in hostes currere iubet; cf. I. T. 1358—1360 et 1361—1363 (quibus versibus dialogus Taurorum et Graecorum redditur) 1386—1389; 1398—1402; Ion. 1127—1131; 1178—1180; 1210—1212. 1220—1221. In narratione Electrae nuntius omnia verba quae homines fecerunt, per orationem directam explicat: primum vv. 779—796 nuntius totum colloquium quod inter Orestem et Aegisthum ortum est, imitatur; 805—837 redditur quibus verbis Aegisthus nymphas invocaverit et cum Oreste collocutus sit. Hac in parte probatur nuntium id studere ut veram naturam sermonis imitetur: v. 831 Orestes interrogat et Aegisthus celeriter respondet »*Τί χρῆμ' ἀθυμεῖς*«; »*Ὦ ξέν' ὀρρωδῶ τινα*«; nuntius igitur ut Aegisthum celeriter respondisse indicet, omittit ea verba quibus oratio directa in narrationem institui solet. Quomodo nuntius hoc modo recitandi expresserit, videmus ex loco Quintiliani supra laudato. vv. 847—851 denique Orestes satellites Aegisthi sibi conciliat. Hic igitur verba hominum longum spatium obtinent et saepius verba afferuntur quae ad rem ipsam narrandam non multum pertinent velut ea quibus Aegisthus Orestem invitaverit

777—796. Similiter pastor ut supra commemoravi in I. T. 264—280 reddit verba pastorum quae rem minoris momenti accuratissime describunt. Etiam in narratione Helenae multa verba directa afferuntur; cf. Hel. 1543—1546; 1560—1564; vv. 1579/81 nuntius breve diverbium reddit:

ἔτ' ὦ ξέν' εἰς τὸ πρόσθεν ἢ καλῶς ἔχει
πλεύσωμεν; ἀρχαὶ γὰρ νεὼς μέλουσί σοι

Menelaus breviter ut *ναύαρχος* facere solet respondet: *ἅλις μοι*. Hic nuntium sermonem cotidianum imitari apertum est [1]). cf. Hel. 1584—1587; 1589—1591; 1592—1595; 1597—1599; 1603—1604; Phoen. 1145—1147; 1225—1234; 1250—1253; 1365—1369; 1373—1374; 1432—1433; 1436—1437; 1444—1453 (quibus verbis Polynicis actio tragoediae insequens praeparatur). Or. 875—878 nuntius ut quisquis Atheniensis interrogat

τί καινὸν Ἄργει; μῶν τι πολεμίων πάρα
ἄγγελμ' ἀνεπτέρωκε Δαναιδῶν πόλιν;

et civis Argivus breviter respondet

Ὀρέστην κεῖνον οὐχ ὁρᾷς πέλας
στείχοντ' ἀγῶνα θανάσιμον δραμούμενον;

nuntius colloquium reddit quale Athenienses cotidie in foro audiebant. (Tale colloquium quod levem naturam sermonis cotidiani reddit, initium narrationis occupat velut in priore nuntio Iphigeniae T.). Item res se habet in v. 885/6, ubi praeco interrogat *τίς χρῄζει λέγειν* || *πότερον Ὀρέστην κατθανεῖν ἢ μὴ χρεὼν* || *μητροκτονοῦντα*; quis ex Atheniensibus spectatoribus in contionibus populi *τίς ἀγορεύειν βούλεται* non audiverat? Orationes eorum qui de re loquuntur obliquae afferuntur et verba Orestis vv. 932—942 sola directa. cf. Bacch. 718—721; 731—733. 1059—1062, 1079—1081, 1106—1109, 1118—1121.

Ut res magis ante oculos habeamus, nuntius saepius similitudinibus utitur. Iam Homerus narrationes epicas similitudinibus ornavit. Hae autem plerumque longiores

---

1) cf. Aristot. Rhet. 1404 b. 20: *κλέπτεται εὖ ἐάν τις ἐκ τῆς εἰωθυίας διαλέκτου ἐκλέγων συντιθῇ· ὅπερ Εὐριπίδης ποιεῖ καὶ ὑπέδειξε πρῶτος.*

sunt neque semper naturam similitudinum prae se ferunt quod a tertio comparationis longius aberrant. Nuntius tragicus res cum aliis semper breviter comparat: nullo enim loco in sententiis quibus similitudines enuntiantur, verbum finitum invenitur[1]). Neque est ulla differentia nec quod longitudinem similitudinum attinet nec quod res ex quibus repetuntur, inter similitudines in diverbiis canticisque positas et eas quibus nuntii utuntur. — Euripidem saepius et in dialogo et in narrationibus et in canticis ad similitudines epicas respicere non miramur, quippe quod argumenta tragoediarum ex carminibus epicis sumit velut similitudines in Andr. 1140—1141; I. T. 297; Phoen. 1380. Bacch. 748; alias autem ex ingenio suo composuisse ut Med. 1200. Hec. 560, alias mutavisse videtur. Sed Euripides similitudinibus non tam utitur ut dictionem ornet, quam ut sententiam aliquam non expletam perpoliat. Huc imprimis pertinent similitudines breves, quae plerumque unam vel duas voces comprehendunt et plerunque in fine versuum leguntur; cf. in narrationibus nuntiorum[2]): Med. 1200 *ὥς τε πεύκινον δάκρυ*. Hipp. 1201 *ὡς βροντὴ Διός*, 1221 *ὥστε ναυβάτης ἀνήρ*. Hec. 560 *ὡς ἀγάλματος*. Herc. 974 *ὄρνις ὥς*. I. T. 284 *κυναγὸς ὥς*. Phoen. 1154 *τυφὼς ... ὥς τις ἐμπεσών*, 1169 *κυναγὸς ὡσεί*, 1185 *ὡς κύκλωμ' Ἰξίονος*, 1377 *πύρσος ὥς*. Bacch. 752 *ὥστε πολέμιοι*. Similitudines longiores multo rarius in narrationibus adhibentur; cf. Med. 1213 *ὥστε κισσὸς ἔρνεσιν δάφνης*. Andr. 1140—1141 *ὅπως πελείαδες ἱέρακ' ἰδοῦσαι*. I. T. 297 *μόσχους ὀρούσας ἐς μέσας*

1) hoc de omnibus similitudinibus Euripideis dicendum. Etiam in canticis Euripides plerunque brevibus similitudinibus utitur; tres tantum in Euripidis tragoediis inveni quae verbo finito addito totam sententiam explent; cf. Troad. 829—830 *οἰωνὸς οἷον τεκέων ὕπερ βοᾷ* et El. 151—155. Hel. 187—190.

2) in dialogo his locis: Alc. 1118. Med. 28. Hipp. 429, 828, 873. Hec. 20, 337, 807, 1173, 1174 (certo delendus). Andr. 554, 557. Herc. 487/8, 632, 1039, 1093. Suppl. 252, 409, 1046. Troad. 432, 457, 751, 1205. I. T. 359. Hel. 262, 543, 790. Phoen. 628, 835, 847, 1004, 1312. Or. 697, 762, 786, 1519. Bacch. 454.

λέων ὅπως. Phoen. 1380/1 *κάπροι ὅπως θήγοντες ἀγρίαν γένυν* || . . . *ἀφρῷ διάβροχοι γενείαδας*. Bacch. 748 *ὥστε ὄρνιθες ἀρθεῖσαι δρόμῳ*; 1056 *ἐκλιποῦσαι ποικίλ' ὡς πῶλοι ζυγά*. 1066—1067 *ὥστε τόξον ἢ κυρτὸς τροχὸς* || *τόρνῳ γραφόμενος περὶ φορὰν ἑλικόδρομον*, 1141/2 *ὡς ὀρεστέρου λέοντος*[1]). — Neque quod argumenta similitudinum attinet, ulla differentia est inter narrationes et diverbia. Sane poeta etiam in narrationibus eis usus est, ut brevi notione comparata nobis imaginem in mentem vocaret, sed hae similitudines narrationum non propriae sunt.

Nuntius plerunque iam primis verbis indicat, quo loco res quas narraturus est acciderint. Sed quoniam narratione magis de personis quid fecerint agit, raro loca describit; cf. Hipp. 1198/20

ἐπεὶ δ' ἔρημον χῶρον εἰσεβάλλομεν
ἀκτή τις ἔστι τοὐπέκεινα τῆσδε γῆς
πρὸς πόντον ἤδη κειμένη Σαρωνικόν.

his verbis locus describitur qui ad fatum Hippolyti cognoscendum maximi momenti est; nam propter exsecrationem Thesei pernicies in litore scopuloso solo fieri potuit. I. T. 262/3

ἦν τις διαρρὼξ κυμάτων πολλῷ σάλῳ
κοιλωπὸς ἀγμός, πορφυρευτικαὶ στέγαι

hic descriptio loci narrationis insequentis causa non necessaria est, sed efficitur primum ut locum quo Orestes et Pylades v. 122 obeuntes se abdiderunt, cognoscamus, deinde ut rem loco actionis depicto melius ante oculos habeamus. Eadem causa etiam in Bacch. 1051/2 valet:

ἦν δ' ἄγκος ἀμφίκρημνον, ὕδασι διάβροχον
πεύκαισι συσκιάζον. Praeterea iam hic pinus commemoratur qua in arbore summa Pentheus ponitur. Aliis locis nuntius regionem brevi epitheto significat, velut El. 777 *κυρεῖ δ' ἐν κήποις καταρρύτοις*. Bacch. 1048 *πρῶτον μὲν οὖν ποιηρὸν ἵζομεν νάπος* aut Heracl. 849/50 *Παλληνίδος γὰρ σεμνὸν ἐκπερῶν πάγον δίας Ἀθήνας*, ubi Homerum imitatur. —

1) Etiam in diverbiis similitudines longiores rarius adhibentur; sunt hae: Med. 523/4. Hec. 398, 608. 592. 1025. Andr. 116. Herc. 72, 510, 860, 869. Suppl. 448, 742. Troad. 1298. El. 748. 957. 1365.

Omnino narratio — quod ex ipsa re sequitur — non tam de rebus quam de personis est. Et in Hippolyto tauro qui equos Hippolyti in rupes agit pauca verba impenduntur; cf. 1214/7 *κῦμ' ἐξέθηκεν ταῦρον, ἄγριον τέρας* || *οὗ πᾶσα μὲν χθὼν φθέγματος πληρουμένη* || *φρικῶδες ἀντεφθέγγετο.* In Hecuba Talthybius poculum quo Neoptolemus libat, epitheto *πάγχρυσον* ornat (v. 527/8); qua in re Homerum secutus religionem sacrificii hoc verbo indicat. In universum dicendum est nuntios r e s paucis tantum verbis describere. Eo magis miramur, quod in Ione nuntius tabernaculum quod Ion aedificat accuratissime describit. Hic Euripidem veram imaginem ante oculos habuisse vel mente finxisse[1]) optime cognoscimus descriptione quae in Hom. Σ 483—489 invenitur comparata: Homerus sidera enumerat quae in clipeo Achillis fuerint, nomina sola afferens et de Arcto solo compluribus verbis usus, cum Euripides qui eadem fere sidera[2]) nominat de omnibus aliquid narret velut solem cum equis adfuisse, Vesperem splendore praestitisse et s. Sed maioris momenti est hoc: tota dispositio narrationis de opere artificioso quae exstat in Ione, ab Homerica abhorret, quod apud Homerum singula opera pro magnitudine enumerantur: terra initio ponitur, sequuntur caelum atque mare, deinde luna, denique stellae; Euripides autem descriptionem ita componit, ut sidera nominentur eo ordine quo tempus diei ea profert: primus sol occidens nominatur, deinde vesper, qui noctem vocat; cum nox cum stellis veniat, hae recte post noctem ponuntur (cf. transgressum: *ἄστρα δ' ὡμάρτει θεᾷ*); stellae autem et per vices dierum et in descriptione ab Aurora fugantur. Versus igitur 1147 *Οὐρανὸς ἀθροίζων ἄστρ' ἐν αἰθέρος κύκλῳ* propositum totius descriptionis dat.

Euripides ut supra demonstravi in nuntiis arte narrandi id efficere studet ut res narrandas quasi oculis perspiciamus. Et hoc modo lacunam quae personis alio loco agentibus

---

1) de Euripide pictore cf. v. Wilamowitz Herc. I[1], 20.

2) tria sidera addit sc. *λαμπρὸν Ἑσπέρου φάος* v. 1149, *μελαμπέπλος Νὺξ ἀσείρωτον ζυγοῖς ὄχημ' ἔπαλλεν* v. 1150, *ἥτε φωσφόρος Ἕως διώκουσ' ἄστρ'* v. 1157,8.

exstat in actione dramatis, explet. Itaque hae narrationes quae pro actione esse debuerunt, ex ipsa natura tragoediae, non ex argumento epico tragoediarum ortae sunt neque cum carminibus epicis comparari possunt neque poeta tragicus quod argumenta fabularum ex carminibus epicis adhibuit, per narrationes longiores artem epicam in tragoedias inducere voluit. Sane in nuntiorum narrationibus multa colorem epicum prae se ferunt, et res narratae et singula vocabula[1]). Ex quibus notissimum est in nuntiis saepius augmentum syllabicum omitti[2]). Euripides augmentum quinquies omittit: in Bacch. 767, 1066, 1084 et frg. 495 (1—45). Praeterea Lautensach[3]) observavit duobus locis *ῥήσεων ἀγγελικῶν* finem verborum epicum inveniri: Eur. Phoen. 1246 *ἔσταν* et Hipp. 1247 *ἐκρυφθεν*. Alias formas epicas addam: Med. 1200 et Hipp. 1223 (cod. M. A. *γναθμοῖς*, S. P. B. V.: *γνάθοις*) forma epica *γναθμοῖς* legitur. Euripides in dialogo Alc. 492 et 494 et Aeschylus (sexies) et Sophocles (bis) semper forma *γνάθος* utitur: apud Homerum semper forma *γνάθμος*. Eur. Bacch. 737 forma epica *πόρις* invenitur eadem forma *πόρις* in cantico Suppl. 629; Aeschylus (bis) et Sophocles (semel) formam *πόρτις* adhibent. Eur. Suppl. 677 et 679 *παραιβάτης*, aliis locis tragoediarum semper *παρά*. Hic numero *φόνος*, ubi ei significatio sanguinis inest; cf. Eur. Heracl. 822. I. T. 1338. Hel. 1602 et *φόβος* fugam significans Phoen. 1125; cf. locutiones quibus infinitivus ab nomine vel adiectivo pendet, saepius in nuntiis Euripideis inveniuntur e. g. Med. 1196 *δυσμαθὴς ἰδεῖν*

---

1) artem epicam nuntios prae se ferre iudicant: Hermannus in opusculis et praefationibus fabularum Euripidearum (Bacch. Cycl.) Hornung. Prg. Brandenburg 1869 p. 7. v. Wilamowitz Herc. I[1], 109, Griech. Trag. III. 186 ann. Griech. Lit.-Gesch. p.52. Die epische Erzählung, wie sie Euripides allerdings in den Botenreden kultivierte . . . De natura epica dubitat Rassow, cuius argumenta equidem non probo.

2) Lautensach, Stud. zu den griech. Tragikern, Hannover 1899, p. 165.

3) Lautensach, Stud. zu den griech. Trag. u. Com. I. Personalendungen, Hannover 1901 p. 17.

1202. *φόβος θιγεῖν*. Hipp. 1202. 1239. Andr. 1123 *γοργὸς ὁπλίτης ἰδεῖν*. Bacch. 693 *θαῦμ' ἰδεῖν* (cf. illud Homericum *θαῦμα ἰδέσθαι*) Hel. 1540 *αὐχμηροὶ ἰδεῖν* I. A. 1581. 1588. Rhes. 310; praeterea autem tales compositiones in canticis solis extant: Phoen. 127, 146. Bacch. 1017. I. A. 275. Rhes. 345, 382; uno loco in diverbio: I. A. 318. Sophocles et Aeschylus eas quidem et in dialogo et in narrationibus et in canticis adhibent; cf. in canticis: Aesch. Pers. 27, 48. Sept. 973, 974, 998, 999. Soph. O. R. 1297, 1335. O. C. 141; in narrationibus nuntiorum: Aesch. Pers. 377, 398. Soph. O. R. 1267; in diverbio: Aesch. Suppl. 277. Prom. 240, 248. Ag. 602, 900. Choeph. 176. Eum. 34. Soph. Ai. 818. O. R. 1375/6. Trach. 673, 694. Aut nuntius respicit ad carmina epica his locutionibus: Andr. 1135 *δεινὰς ἂν εἶδες*. Hel. 1606 *νεκροὺς ἂν εἶδες*. cf. Phoen. 1150. Bacchi 737. — Praeter haec pauca vocabula res quae per nuntiorum narrationes explicantur, saepius carmina epica in memoriam revocant. In Andr. Heracl. Suppl. Phoen. nunti. de pugnis aut de certaminibus singularibus referunt, quibus in rebus facile Homerum sequi potuerunt: e. g. pugnam copiarum eodem modo describunt quo Homerus cf. Heracl. 832 cum *Δ* 448/9, Heracl. 833 cum *Δ* 450, Suppl. 686/7 cum *Γ* 13 et *Λ* 151. Turba incognita et duces praeclari simili modo opponuntur atque in carminibus epicis: nuntius de pugna copiarum generatim et universe loquitur neque tam multis verbis describit quam pugnam heroum e. g. Neoptolemi Eteoclis Polynicis (cf. quod Valkenaer ad narnationes Phoenissarum annotat). Et Heracl. 802 (cf. 843) Suppl. 676 sqq. heroes quadrigis in pugnam progressi ut pugnent eis descendunt; cf. *Γ* 29, *Δ* 226, 419; *Ζ* 103. In Phoen. 1453 Polynices moriturus verba plane modo Homerico finit: *ἤδη γάρ με περιβάλλει σκότος*; Herc. 1002, Athena *εἰκὼν ὡς ὁρᾶν* videtur. Et multa eius modi facile cumulari possunt[1]).

Sed hae res epicae aut vocabula aut locutiones quae

1) cf. Kaibel, Sophocl. Electra. v. 709 de narratione paedagogi.

in nuntiis Euripideis ad carmina epica quadrant et nuntiorum propria sunt, singillatim tantum exstant et obstant eae narrationes in quibus nihil epicum inveniri potest velut Med., Herc., Hipp. aut quae in universum vitam Atticam temporum Euripideorum reddunt ut I. T. El. Hel. Ion. Or. Etiam totum genus narrandi non ad artem epicam referri potest, quod nuntius eo ordine res profert quo in conspectum eius venerunt et saepe ipse in rebus gerendis egit. Deinde nuntius res summo cum affectu qui ad recitandum magni momenti est, explicat[1]. Et postea demonstrabimus narrationes in tragoediis antiquissimis, Aeschyli dico, nihil epicum prae se ferre, sed artem narrandi in his tragoediis (praecipue in Suppl.) non tam excultam per singulos gradus ad praeclaram artem Euripidis progressam esse. Quod non factum esset, si narratio epica ab initio ad imitandum adhibita esset. Ante omnia autem id me movit ut colorem epicum a narrationibus tragicis abiudicarem, quod similitudines et verba directa a nuntiis allata non ad morem epicum conformantur, sed similitudines in narrationibus haud alia ratione atque in diverbiis adhibentur et oratio directa vera verba hominum reddit. Totum genus narrandi potius ad narrationes Lysianas quadrat (cf. dissertationem in appendice allatam).

2.

His rebus de nuntiorum narrationibus comprobatis naturam ceterarum sc. earum quae in priore parte prologorum Euripideorum leguntur et quibus nova actio in tragoediam inducitur facilius cognoscere possumus. De his igitur brevius disputemus.

1) hoc modo bene narrari posse demonstrat histrio in Shakespeare Hamlet II, 2. — Rassow non recte affectus quibus nuntius dum narret commoveatur ex eo probare studet quod saepius de affectibus quibus in rebus gerendis affectus sit, narrat. Etiam de factione nuntiorum R. non recte disputavit quod nuntios omnium hominum miserorum miseret; cf. narrationem in Med., ubi nuntius a parte Medeae stat, aut Phoen. in certamine singulari narrando, ubi nuntius a parte Eteoclis stat.

Priore in parte prologorum ῥῆσις qua persona aliqua res ante initium tragoediae gestas breviter exponit, potius per formam explicationis quam narrationis profertur. Cum enim homo quicumque recte narrare vult omnia per ordinem temporum explanare debeat, in prologis primum res quae nunc sint, proponuntur et verbis insequentibus ex rebus quae tunc erant, explicantur. Quod exemplis demonstremus: Alc. 1/2 Apollo se quamquam deum hominis in aedibus servitutem tulisse primis verbis indicat:

Ὦ δώματ' Ἀδμήτει', ἐν οἷς ἔτλην ἐγὼ
θῆσσαν τράπεζαν αἰνέσαι θεός περ ὤν

vv. 3—7 huius consilii causas affert; deinde vv. 8—9 dicit se domum Admeti noniam servare posse:

ἐλθὼν δὲ γαῖαν τήνδ' ἐβουφόρβουν ξένῳ
καὶ τόνδ' ἔσῳζον οἶκον ἐς τόδ' ἡμέρας.

versibus insequentibus 10—21 item explicat quomodo et quibus de causis domum servatam usque ad hunc diem, ἐς τόδ' ἡμέρας, noniam servare possit. Med. 16 nutrix postquam verbis magno cum affectu effusis vv. 1—15 res quae ante fugam Iasonis et Medeae gestae sint perstrinxit, dicit quomodo res se nunc habeant:

νῦν ἐχθρὰ πάντα καὶ νοσεῖ τὰ φίλτατα

quod ex rebus quae Corinthi post adventum Iasonis acciderint, vv. 16—36 explicatur. Eodem modo in Hipp. Venus v. 9 et vv. 20—23 proponit quod versibus insequentibus explicatura est[1]). In Hecubae prologo narratio Polydori recte per ordinem temporum fluit (de rebus quae actae sint et quae futurae). Sed etiam haec longa narratio, si formam solam respicimus, hac una de causa affertur, ut explicet cur Polydorus venerit; nam narratio pendet a primis verbis Polydori cum quibus per grammaticam rationem coniungitur: se filium Priami et Hecubae nunc ex inferis venisse, quod

---

1) tales explicationes saepissime particula γάρ institui consentaneum est cf. e. g. Alc. 3, 10. Med. 17, 36. Hipp. 10, 24. Andr. 45. Heracl. 6. Herc. 37. Suppl. 8. Troad. 4. I. T. 10. Ion. 8. Or. 4. 53. 63.

quamquam Priamus se servare conatus sit, a Polymestore occisus sit; v. 45/6

δυοῖν δὲ παίδοιν δύο νεκρὼ κατόψεται
μήτηρ, ἐμοῦ τε τῆς τε δυστήνου κόρης

praefatur matrem duos liberos uno die defleturam esse et vv. 47/50 explicat quomodo hoc futurum sit. Andr. 6 Andromacha dicit quomodo se nunc habeat:

νῦν δ' εἴ τις ἄλλη, δυστυχεστάτη γύνη

et per longiorem explicationem usque ad v. 40 explicat cur mulier miserrima sit. vv. 45—55 denique cur haec sedes quam vv. 42—44 δειματουμένη δ' ἐγὼ δόμων πάροικον Θέτιδος εἰς ἀνάκτορον θάσσω τόδ' ἐλθοῦσα describit, sibi obtinenda sit. Heracl. 1—5 Iolaus sententiam communem ineunte prologo ponit. Hanc narratione fati Heraclidarum probare vult. Qua in narratione ordo temporum non servatur; e. g. 15/6 narrat liberos erravisse et vv. 17 sqq. causas affert cur errare coacti sint sc. Eurysthum eos omnibus locis expulisse. In I. T. Iphigenia more Euripideo primum genealogiam profert et statim gravissimum fatum vv. 6—9 addit se Aulide a patre immolatam esse. Versus 10—41 veram narrationem continent: cum primum de sacrificio narret, v. 27 in eo est quo v. 9 fuit; deinde quomodo servata sit et tristi munere sacerdotis fungatur. Brevis narratio somni insequitur. Pari modo narrationes ceterorum prologorum componuntur. Unum saltem exemplum ex postremis tragoediis Euripidis accuratius explanabo. In Or. Electra quae exordium a loco communi facit

οὐκ ἔστιν οὐδὲν δεινὸν ὧδ' εἰπεῖν ἔπος
οὐδὲ πάθος οὐδὲ συμφορὰ θεήλατος,
ἧς οὐκ ἂν ἄραιτ' ἄχθος ἀνθρώπου φύσις

ut hunc probet omnia mala clarae domus Atridarum per narrationem usque ad v. 51 profert; deinde v. 52 ἐλπίδα δὲ δή τιν' ἔχομεν ὥστε μὴ θανεῖν ad aliam rem transit et vv. 53/61 explicat cur salutem sperare possint. v. 62 ἔχει δὲ δή τιν' ἄλγεων παραψυχήν iterum proponit quod vv. 63—70 probat. — Hoc mihi demonstravisse videor narrationibus prologorum quod formam attinet nihil cum nuntiorum nar-

rationibus commune inesse, sed utramque suam naturam habere sc. prologos ut *ὑπόθεσιν* quam brevissime explicent, narrationes nuntiorum ut aliquid ante oculos ponant. Ad naturam prologorum, rerum expositionem, totus modus narrandi quadrat atque quod ad expositionem explicatio aptior est quam narratio, Euripides eam adhibuit et totum modum narrandi ad naturam prologorum accommodavit; etiam hic eum novum genus ex natura rei sibi invenisse apertum est.

Iam Alexandrinis *πρόλογος Εὐριπίδειος* quasi *πρωτότυπον* orationis ieiunae et insuavis fuit (cf. Klinkenberg praef.). Hoc iudicium imprimis ad genealogias quadrat saepissime vituperatas et futurorum praedictiones; cf. Schol. Townl. Hom. O. 64 *ἐοίκασι γὰρ Εὐριπιδείῳ προλόγῳ ταῦτα· ἐναγώνιος δὲ ἔστι ὁ ποιητὴς καὶ ἐάν ἄρα σπέρμα τίθησι* [1]). Idem indicant schol. ad Troad. 36, Alc. 1. Hec. 1 (in verbis corruptis). arg. Andr. — Et Euripides in narrationibus prologorum non imagines rerum gestarum ante oculos ponere vult (hoc maxime ex eo intellegitur quod prologi saepius etiam argumentum tragoediae insequentis continent) sed breviter exponere. Cum igitur in prologis potius commemoretur quam narretur, verba directa quae omnibus nuntiorum narrationibus vim probabilitatis inferunt, in narrationibus prologorum raro adhibentur. Primum exemplum exstat in Heracl. 29/30, ubi Iolaus verba quae alii homines dicant, sibi fingit. Deinde in I. T. 17/24: Iphigenia fata sua explicans ad tempus transgreditur quo sibi sors miserrima evenerit; quod tempus in mentem revocantem summo dolore iterum affici consentaneum est. Hic affectus eo exprimitur quod Iphigenia verba Calchantis quae semper in animo servavit, nunc ipsa affert. In Ione 29—36 et Phoen. 17—20 verba quae ad totam fabulam maximi momenti sunt, preces Apollinis et vaticinium, ipsa redduntur. In Phoen. 40:

ὦ ξένε, τυράννοις ἐκποδὼν μεθίστασο.

---

1) in postremis verbis eadem observatio quae saepius in scholiis Euripideis; cf. Elsperger.

Iocasta *προλογίζουσα* verba Laii ipsa affert quod ab his verbis res miserrima incepta, mors patris a filio perfecta, animum eius vehementer afficit. Etiam hic igitur verba directa dicuntur non ut naturam imitentur, sed affectu hominum moventur; item Herc. 74/5 res se habet. — Etiam ornamentum similitudinum in narrationibus prologorum raro adhibetur; tres exstant: Med. 28. Hec. 20. Or. 45. — Iam hoc satis habeo etiam artem narrandi quae in priore parte prologorum Euripideorum adhibeatur, non ut longiores narrationes nuntiorum formatam esse, sed ex origine, expositione, proprium genus habere.

De eis narrationibus, quibus actio nova re in tragoediam inducta movetur breviter atque in universum disputandum est. Hae enim narrationes plerunque paucos versus complent, quod non imago depingenda est, sed id solum satis rem novam paucis verbis actioni tragoediae inferre. Itaque brevitas harum narrationum ex ipsa natura earum sequitur; cf. Hec. 220—224.

ἔδοξ' Ἀχαιοῖς παῖδα σὴν Πολυξένην
σφάξαι πρὸς ὀρθὸν χῶμ' Ἀχιλλείου τάφου.
ἡμᾶς δὲ πομποὺς καὶ κομιστῆρας κόρης
τάσσουσιν εἶναι· θύματος δ' ἐπιστάτης
ἱερεύς τ' ἐπέσται τοῦδε παῖς Ἀχιλλέως.

Ulixes quinque vel potius duobus tantum versibus Hecubae nuntiat filiam in tumulo Achillis immolandam esse; et ne causam quidem cur hoc Argivis visum sit addit. In his versibus nulla descriptio continetur, sed res sola quae ad actionem est. Et nuntius Ulixem nunc Polyxenam abducturum esse — id quod actionem insequentem movet — totidem versibus profertur quot ille Polyxenam caedendam esse. I. T. 940—978[1]) Orestes Iphigeniae explicare sibi

1) I. T. versus 979—982 in epilogo per dittographiam additos ab Euripide abiudicandos esse censeo. Nam primum inter hos versus sunt qui idem quod versus insequentes exprimunt; cf. et vv. 979/80 et 984 Orestes sororem admonet ut se servet (cf. in utraque sententia imperat. aor. I); praeterea versus 980 *ἣν γὰρ θεᾶς κατάσχωμεν βρέτας* paululum mutatus redit in v. 986 *οὐράνιον εἰ μὴ ληψόμεσθα*

proposuit quo iure in Tauros venerit. Sed totam fugam post mortem Clytaemestrae factam enarrat et demum a v. 976 affert Apollinem sibi mandata dedisse. Hanc longam narrationem eo magis miramur, quod iudicium Areopagitorum ad mandata Apollinis Delphis data nil valet et Orestes iam antea v. 931 sq. de Furiis dixit et totum vaticinium in prologo spectatoribus exposuit. Poeta Orestem quomodo Athenis versatus sit tam accurate descripsisse videtur, quod spectatores Athenienses[1]) fuerunt. Hae duae sunt narrationes quibus aliquid quod ante initium fabulae factum est narratur. Addam eas quibus nuntiatur quod spectatoribus non inspicientibus actionem movet; cf. Andr. 804—816. Heracl. 393—409. Troad. 1123—1140. El. 509—517. Phoen. 1217—1263. Bacch. 436—448; etiam hae narrationes multo breviores sunt quam nuntiorum et dictio earum ornamento caret: id solum quod ad actionem movendam necessarium est refertur. Hoc optime demonstrat Troad. 1123—1140, ubi Talthybius Neoptolemum cum Andromacha in patriam profectum esse vv. 1122—1133 nuntiat, mandata autem

---

θεᾶς βρέτας. Deinde verba *καὶ σέ* v. 981 ad verba Iphigeniae insequentia non quadrant. Nam si Orestes in epilogo se sororem in patriam reducturum esse addidisset, Iphigenia initio responsi non de sorte quae Oreste solo fugiente sibi eveniret, ageret, sed initium a verbis Orestis quibus se Iphigeniam ex finibus Tauricis deducturum esse promisit caperet et diceret — id quod in fine vv. 999—1001 — Orestem periculi causa solum fugere debere. Nunc autem hanc sententiam profert: olim Argos redire studui, nunc te vidisse mihi sat; itaque te liberabo et statuam tibi tradam, quamquam tum mihi moriendum est. Praeterea verba Iphigeniae vv. 995/8 quibus Orestem interrogat, non intelleguntur, si hic se sororem secum nave vecturum esse dixit. Itaque Orestes antea nihil de Iphigenia in patriam ducenda dixisse potest. Et prima verba Iphigeniae respiciunt sola ad verba Orestis: *σῶσον πατρῷον οἶκον· ἐκσῶσον δ' ἐμέ·* respondet enim Iphigenia: *σέ τε μεταστῆναι πόνων || νοσοῦντα τ' οἶκον οὐχὶ τῷ κτανόντι με || θυμουμένη, πατρῷον ὀρθῶσαι* — et v. 995 *σώσαιμί τ' οἴκους.* Denique verbis *καὶ σέ* aliquid ineptum inesse videtur: Orestes sororem promisso quasi corrumpere videtur.

1) similia comprobat v. Wil. Herm. 15. de Aegeo in Eur. Medea accedente.

eius, quod ea ad actionem maxime valent vv. 1133—1144 accuratius describit; nam Talthybius ea de causa ut ea Hecubae nuntiet in scaenam venit. Nec id quidem quomodo Astyanax mortem subierit commemoratur, quamquam de exitu pueri qui v. 798 a scaena abscessit nescimus. Unus nuntius in Phoen. 1217—1263 excipitur, ubi nuntius formam narrationis de certamine fratrum futuro accommodat narrationi de pugna Thebanorum Argivorumque praeeunti. Et in hac una tali narratione inveniuntur verba directa (1225—1234, 1250/1, 1252/3) et accurate describitur quomodo certamen praeparetur (1240—1258).

Etiam eae narrationes quae ut spectatores comperiant quid post scaenam factum sit proferuntur, breviores sunt. Nam quoniam per has narrationes ut ita dicam iterum exponitur, id solum quod ad actionem cognoscendam satis est continent; cf. Alc. 751—771; Hel. 515—527 et 530—539. Bacch. 616—640.

3.

De narrationibus quae in Sophoclis tragoediis leguntur disputaturus initium faciam ab eis quarum forma ad formam a Rassowio de Euripideis nuntiis constitutam quadrat. Ita iam Rassowius § 10 observat in universum quidem formam Euripideam et Sophocleam eandem esse vel simillimam, sed Sophoclem non tam certas leges ut narrationes nuntiorum in tragoedias induceret adhibuisse quam Euripidem neque per totam vitam sibi constitisse, sed saepius formam nuntiorum commutasse. Deinde R. demonstrare conatur Sophoclem in quattuor tantum fabulis, in O. R. El. Trach. O. C., eadem constantia uti qua Euripidem, in Aiace autem Antigonaque propriam viam ingredi. Unde R. concludit Euripidem primum formam certis legibus astrictam excogitasse et Sophoclem ab eo fere tempore quo Oedipus R. conscripta sit, formam cum Atheniensibus placuisse vidisset, in usum suum convertisse totumque se ad exemplum Euripideum applicuisse — Sane, hoc concedo Euripidem certam quam in tragoediis eius invenimus formam nuntiorum

sibi invenisse et Sophoclem in posterioribus tragoediis ad leges Euripideas respicere. Nemo est qui hoc neget. Sed Euripidem formam nuntiorum plane novam invenisse non puto quod forma eorum — ut infra demonstrabo — quamquam non tam exculta in tragoedia quae vetustissima videtur legitur. Praeterea Sophoclem etiam in illis quattuor fabulis non temere formam Euripideam imitari videmus, sed ubique aliquid ex suo addere.

Inter narrationes quarum forma ad Euripideam quadrat habeo has: Ai. 738 sq.; Ant. 223 sq.; 384 sq.; 1155 sq.; El. 660 sq.; Oed. R. 1233; Trach. 225 sq.; 335 sq.; 734 sq.; 870 sq.; Philoct. 591 sq.; O. C. 1577 sq. Quibus omnibus locis breve diverbium quo nuntius vel aliqua alia persona quid deinde longius explicatura est paucis verbis comprehendit, ponitur ante longiorem narrationem, quod omnibus nuntiis Euripideis proprium est. Huius rei in tragoediis Sophocleis exstant haec exempla: Ai. 738 sq. nuntius a v. 719 nullis verbis antea cum choro factis statim narrare incipit Teucrum in castra Graecorum advenisse. Ai. v. 749 sequitur alia narratio per quam Teucrum Aiacem tentorium relinquere vetuisse nuntiat. Haec autem narratio ab illa seiungitur et praeparatur dialogo, quo vv. 741/2 summa narrationis insequentis indicatur. Ant. 223 sq. et 384 sq. custos duobus quibus procedit locis priusquam rem accuratius narrat, rem paucis verbis indicat; cf. 245/7, et 402, 404/5. Ant. 1172—1179 nuntius per stichomythiam, in Electra paedagogus argumentum vv. 673/6 profert, in Oedipo Rege nuntius v. 1236, in Trachiniis Lichas per totum dialogum vv. 230—245 et nuntius deinde vv. 346/8 et Hyllus vv. 739/40 et nutrix vv. 874/6, in Philoctete mercator 592/7, in Oedipode Coloneo nuntius vv. 1578/84. — Apud Sophoclem autem narrationes nuntiorum nusquam a re ipsa incipiunt, sed semper breve prooemium — plerumque unus versus — praemittitur; cf. Ai. 748. Ant. 249, 407, 1192/5. El. 680. O. R. 1237/40. Trach. 248/51 (excipitur Trach. 350) 749. 896/7 Philoct. 603/4. O. C. 1586. Hoc exordium saepius ex eisdem sententiis fit; cf.:

Ai. 748, Ant. 1192/5 nuntius se ipsum res vidisse dicit; Trach. 746/7; Trach. 896/7 et O. C. 1586 de affectu agit; Trach. 248/59 et O. R. 1237/40 breve argumentum narrationis praebet; El. 680 et Trach. 749 et Philoct. 603/4 se omnia prolaturum esse promittit[1]). — Denique omnibus narrationibus epilogus additur quo nuntius exponit quid ipse de eis quae narravit sentiat. Quod plane Euripideum est; cf. Soph. Ai. 782/3; Ant. 276/7; 436/40; 1240/3; El. 761/3; O. R. 1280/4. Trach. 283 sq., 365 sq., 807/12 943/6; Philoct. 620/1. O. C. 1656 sq.

In persona nuntii et arte narrandi aliqua differentia est inter narrationes Sophocleas et nuntiorum Euripideorum narrationes. Nam cum Euripidearum forma narrationum quam Rassow comprobavit semper cum persona nuntii coniuncta inveniatur, apud Sophoclem etiam aliae personae hoc munere functae narrationes eodem vel simili modo incipiunt quo apud Euripidem nuntii; cf.: in Antigona duobus locis custos refert, in Trachiniis Lichas et Hyllus et nutrix, in Philoctete mercator. Nulla[2]) in tragoedia Euripidea — quatenus de hac re iudicare possumus — tales personae partes nuntii egerunt. — Nuntius Euripideus semper dialogo narrationis praemisso aut in ipsa narratione explicat quis sit et quid in rebus gestis fecerit; cf. Rassow § 7, Sophocleus autem nuntius nusquam hoc indicat et interdum ne ex narratione quidem comperimus quis sit. Sophocles igitur quoniam etiam in aliis personis in scaenam venientibus non a primis verbis indicat quae sint et unde venerint, in nuntiis hunc morem sequitur. Et saepius omnino nescimus qualem hominem vices nuntii gessisse poeta voluerit et quid inter eos et alias personas fabulae intercedat; in Ai. nescimus utrum nuntius famulus Teucri (780/2) sit an miles gregarius qui cum Teucro venerit; in Antigona ex narratione v. 1192, 1214, 1219 cognoscimus nuntium famu-

---

1) cf. Rhes. 284 et 756—761. Eur. Heracl. 799.

2) Excipitur in Hecuba Talthybius qui ex munere praeconis ad nuntium idoneus erat; in Cycl. 375 Ulixes narrationem eadem forma qua in tragoediis nuntii instituit.

lum Creontis esse; id autem in O. R. et O. C. ignoramus; et in O. C. nuntius civis Atheniensis aut famulus Thesei esse potest. Certe ex ceteris nuntiis concludimus poetam etiam his in tragoediis nuntios homines humili loco natos esse voluisse. Sophocles enim alia arte usus est, ut nuntios homines de plebe esse indicet, ἠθοποιίαν dico. Duobus locis Antigonae mores custodis exprimi notum est: custos est loquax et ignavus (cf. E. Bruhn. praef. p. 2). Talem comicam loquacitatem et copiam dicendi etiam in Ant. 1155 sq. et O. R. 1223 sq. inveniri puto. Nam plane eodem modo quo custos in Antigona non statim a re nuntianda incipit sed ambobus locis vv. 223—236 et 389—400 alias res verbose ita explicat ut qui audiunt eum non intellegant, nuntii in Ant. 1155—1171 et O. R. 1223—1231 longam orationem generalem habent, qua de rebus visis quamquam de eis nondum narraverunt loquuntur. Etiam in narratione accurata Ai. 719—732 qua nuntius aliquid non necessarium describit, ἦθος nuntii indicari Nauck in praefatione editionis annotat. In Philoct. 542 sq. mores mercatoris comico more finguntur: mercator statim multa de meritis loquitur et v. 582 timide Neoptolemum admonet, ut taceat. — In tragoediis igitur Sophocleis nuntius unusquisque sui generis fuisse videtur: nimirum Sophocles non curat, ut animum spectatorum a persona ad rem narrandam vertat.

Etiam nuntii Sophoclei id solum narrant quod viderunt. Hoc imprimis iam diverbio narrationi praemisso aut prooemio affirmant. cf. Ai. 748. Ant. 1192. 3. El. 762 (in epilogo). O. R. 1239/40. Trach. 351. 746/7. 889. 896/7. O. C. 1589. Deinde nuntius per totam narrationem interdum de parte sua refert et id quod res conspectas solas narrat ad argumentum narrationis magni momenti est. Hoc optime observare possumus in his tragoediis: in Antigona nuntius mortem Antigonae et Haemonis referens priore parte narrat se Creontem secutum Polynicem sepelivisse (1196—1205); deinde cum Creonte ad sepulcrum Antigonae it. In O. R. nuntius nihil certius de morte Iocastae referre potest, quod Oedipode domum intrante oculos ab ea deflexit et animum

in eum solum intendit. In O. C. Oedipodem secutus de eo narrat, sed simili de causa qua in O. R. de morte Iocastae in O. C. de morte Oedipodis nihil nuntiare potest.

Nuntius quamquam res de quibus narrat vidit, tamen non tanto affectu commovetur quanto nuntii Euripidei neque in scaenam procedens verba tanti affectus plena emittit. Hoc comprobat Antigona, ubi nuntius mortem Haemonis nuntiaturus multis verbis v. 1155 sq. exponit quid sors Creontis de sorte humana doceat. Sane etiam hic nuntius rebus gestis commovetur, sed affectus non pectus intimum concutit; queritur et lacrimat ut homines eius generis facere solent. Hi igitur affectus bene conveniunt cum ἠθοποιίᾳ; in O. R. 1224 sq. nuntius de magnitudine calamitatis quae domum praeclaram Labdacidarum oppresserit querens a loco communi ut in Antigona incipit. Nuntius in O. C. 1579 in scaenam veniens nullum affectum ostendit. Hyllus autem et nutrix in Trachiniis procedentes more Euripideo ab initio magno cum affectu loquuntur, quod pernicies suorum eos affecit. — Quae cum ita sint, narratio nuntiorum Sophocleorum non tantis affectibus impletur quantis apud Euripidem. Et multo rarius nuntii Sophoclei de hominibus miseris adhibent verba velut τάλας τλήμων; inveniuntur his locis El. 742; 756. O. R. 1249. 1267. Trach. 772; 792 (de Deianira quae adest) 909. 936. — Etiam ex colore narrandi rarissime cognoscimus nuntium rebus commoveri. Huius rei exemplum optimum praebet Trachiniae, qua in tragoedia Sophoclem multa ex tragoediis Euripideis mutuatum esse constat; cf. 757/8 Hyllus verbis κῆρυξ ἀπ' οἴκων ἵκετ' οἰκεῖος Λίχας τὸ σὸν φέρων δώρημα addit θανάσιμον πέπλον, quod vestem mortiferam commemoranti tristis exitus Herculis in mentem venit et eum opprimit. In Antigona nuntius in fine narrationis 1240/1

κεῖται δὲ νεκρὸς περὶ νεκρῷ, τὰ νυμφικὰ
τέλη λαχὼν δείλαιος εἰν Ἅιδου δόμοις

ad miseram conditionem in qua Antigona et sponsus nunc est respicit et verba ita comparat ut etiam nunc ea magno cum dolore prolata esse cognoscamus. — Etiam nuntius

Sophocleus narrationis cursum suis affectibus et cogitationibus raro interrumpit. Duos tantum locos inveni: in Ai. 760/1 nuntius Calchantem verum vatem esse dicit, ubi poeta versus Homericos A. 68—72 in animo habuit. et El. 696/7 *καὶ ταῦτα μὲν τοιαῦθ᾽· ὅταν δέ τις θεῶν βλάπτῃ, δύναιτ᾽ ἂν οὐδ᾽ ἂν ὁ σθένων φυγεῖν*, ubi paedagogus initium narrationis de certamine equestri in quo Orestes mortem subierit, a loco communi capit.

Etiam nuntiorum narrationes Sophocleae cum aliquam partem actionis reddunt, totam lacunam, quae personis post scaenam agentibus in actione dramatis efficitur, supplent. Nam nuntii res ab initio sc. ab eo tempore quo persona a scaena recessit, explicare student. Hoc iam in Antigona 408 sq. invenimus: custos narrationem quomodo Antigonam ceperit ab eo momento temporis incipit quo Creon eum a scaena ad corpus Polynicis misit; deinde v. 1196 nuntius ab eo tempore narrare incipit, quo Creon abiit (v. 1114) Item res se habet in Oed. R. 1241 sq. Trach. 750 sq. (ab eo momento quo Lichas advenit); 900 sq. O. C. 1586 sq. — Vidimus nuntium Euripideum narrationem plerunque ad talem finem deducere, ut quo in statu res nunc sit indicetur et actio tragoediae insequens praeparetur. Idem invenimus in narrationibus Sophocleis per quas actio aliqua dramatis explicatur; cf.: in Oed. R. 1287—1296 nuntius describit quomodo Oedipus nunc se habeat et indicat Oedipodem mox venturum esse; in Trach. 805/6 accessus Herculis praeparatur et 936—942 questus filii parentibus orbati; in O. C. 1650 sq. nuntius non verbis ipsis quidem ad adventum Thesei respicit; tamen eum exspectamus, quod nuntius Theseum solum aliquid certius de morte Oedipodis scire nuntiat. In Antigona autem nuntius in fine narrationis nihil de Creonte refert, sed similiter atque nuntius in Eur. Med. 1220/1 fatum quem ad finem venerit comprehendit. — Nuntii igitur cum totam actionem post scaenam gestam reddere studeant, non solum exitus hominum describunt, sed etiam quomodo res ab initio se ad hunc finem explicaverint. Hoc et in omnibus narrationibus quibus pars ac-

tionis absolvitur, in Ant. 1196—1218, Oed. R. 1241—1262, Trach. 750—764, 900—922, O. C. 1587—1619 invenitur et in Electra, ubi certamen curruum accurate describitur.

Nuntii Sophoclei tamen res non per tam longam atque accuratam narrationem describunt quam Euripidei. Itaque ornamenta quibus in narrationibus Euripideis res bene illustrantur et ante oculos ponuntur, in narrationibus nuntiorum Sophocleorum desunt aut saltem non tanta spatia obtinent. Inter quae ante omnia verba directa habeo. Haec plane desunt in narratione qua nuntius in O. R. et Iocastam mortuam esse et Oedipodem oculos sibi eripuisse narrat. In Ai. 749—780 nuntius narrat de qua re Calchas Teucrum monuerit. Verba Calchantis primum per orationem obliquam reddit vv. 752—755, deinde vv. 756—757 ad orationem directam transit, vv. 758—759 verba Calchantis iterum oratione obliqua affert, vv. 762—779 verba directa; et nuntius orationem Calchantis directam ita reddit, ut etiam verba directa Aiacis et patris quae in oratione Calchantis locum habuerint, vv. 764/5, 767/9, 774/5 directa refert. In Antigona 1211—1218 mandata Creontis et 1228—1230 preces ipsas affert, in Trachiniis 797—802 Hyllus verba Herculis quibus se allocutus sit et 920—922 nutrix questus Deianirae. O. C. 1611—1619 et 1626—1627 et 1631—1635 verba directa locum habent[1]). Id autem observes nuntium Sophocleum nusquam totum sermonem quem duo homines fecerint, imitari neque sermonem cotidianum, quod nuntii Euripidei in posterioribus tragoediis haud raro faciunt.

Ἐκφράσεις τόπου Hyllus in Trach. 752/4 et nuntius in O. C. 1592/4 instituunt, quod loca ad rem actam cognoscendam necessaria sunt.

Etiam apud Sophoclem quod usum similitudinum attinet, nulla differentia est inter dialogum et narrationes;

---

1) v. 1640 certo delendus.

exstant his locis narrationum: Ant. 424/5. Trach. 768. 770—771 [1]).

Denique ut id breviter perstringam: cum nuntii Euripidei semper ineunte novo episodio sc. post canticum chori procedant (excipitur prior nuntius Baccharum), nuntii Sophoclei interdum aliis personis inter se in scaena loquentibus procedunt velut Hyllus in Trach. 734, paedagogus in El. 660, custos in Ant. 223 [2]).

In universum statuendum est hoc inter narrationes Sophocleas et Euripideas intercedere: elementa formae Euripideae etiam apud Sophoclem invenimus; exstat diverbium narrationi praemissum et epilogus in fine narrationis positus et nuntius plerunque una longiore narratione res explicat (O. R. 1237—1276 excipitur). Tamen est differentia: omnium narrationum initium nuntii a brevi prooemio faciunt; deinde quod personam nuntii attinet: Sophocles ἦθος exprimit et affectum nuntiorum minuit. Denique ars narrandi non tam exculta est quam in Euripidis narrationibus quibus omnia accuratissime describuntur.

---

1) apertum est Sophoclem in hac similitudine respicere ad eam quae in Eur. Med. 1200 invenitur: In Medea tabes corporis cum suco qui de abiete fluit comparatur, in Trach. vestis ut venenum anguis corpus corripit. — Omnino Sophocles in morbo Herculis describendo illam narrationem Euripideam repetit: etiam apud Sophoclem vestis corpus non statim morbo afficit, sed Hercules postquam eam induit, postea boves immolat; deinde priusquam vestis corpus edere incipit v. 763/4 describitur animum Herculis dono Deianirae delectatum esse cf. Med. 1163/6. hic Sophocles Euripidem inepte sequitur, cum amor rerum inanium cum ceteris moribus Herculis male conveniat; denique v. 785 etiam famuli Herculis non audent dominum tangere cf. Med. 1202/3; cf. I. van Leeuwen. Commentatio de Aiacis Sophoclei authentia et integritate. p. 40.

2) hoc totam attinet artem quam Euripides et Sophocles in omnibus tragoediis componendis adhibent et quaestione dignum quomodo accessus actorum et ἐπεισόδια tragoediae cohaereant. Qua de re in annotatione disputari posse non puto.

4.

Iam accedamus ad ceteras Sophoclis narrationes, quibus aut aliquid exponitur aut aliqua nova res ut actio promoveatur in tragoediam inducitur. Ex quibus nonnullae et quod externam formam attinet et quod artem narrandi haud dissimiles sunt eis quarum formam ad nuntiorum Euripideorum quadrare Rassow dicit. Nam etiam his narrationibus breve diverbium praemittitur, sed eo plerunque exprimitur quid personae de rebus postea narrandis cogitent vel sentiant; cf. Ai. 265—283; Ant. 988—997; El. 871—891; O. R. 766—770; Trach. 663—671. Philoct. 337—342. Tale igitur diverbium cognatum videtur ei quo argumentum narrationis insequentis datur. Plane eodem modo quo in illis narrationibus, narrationes quas nunc tractare in animo habeo, non ab re ipsa incipiunt, sed brevi prooemio cui saepius eadem sententia quae prooemiis narrationum nuntiorum est, instituuntur et epilogis finiuntur. Prooemium praemittitur his locis: Ai. 284. Ant. 998. O. R. 771—773. El. 892, Trach. 672/3; prooemius deest et narratio statim a rebus ipsis incipit Philoct. 343. Epilogus quo persona quid de rebus narratis sentiat exprimit, narrationem insequitur his locis: Ai. 327—330; Ant. 1015—1032. El. 907 sq. O. R. 813 sq.; Trach. 705 sq.; Philoct. 389/90. — Etiam ars narrandi ab illis narrationibus non abhorret, quod homines id solum narrant quod viderunt. Hoc. in Ai. 295 sq. demonstrare possumus, ubi Tecmessa quid Aiax extra tentorium fecerit narrare non potest quod non interfuit; in Ant. 999—1018 Tiresias auspicia quae ipse observavit enarrat, in El. 893—906 Chrysothemis v. 894, 897, 900 ipsis verbis indicat se res vidisse; etiam in O. R. 774—813 Oedipus, in Trach. 674—704 Deianira, in Philoct. 343—388 Neoptolemus res quas viderunt narrant. Et hae narrationes aliquo affectu impletae proferuntur: Ai. 285—326 dolore atque angore, El. 893—906 gaudio, Trach. 674—704 perturbatione, in Philoct. 343—388 indignatione, in Ant. 999—1018 cura et admiratione [1]). Et his narrationibus res hominibus qui adsunt ita

1) personam quae narrat affectu commoveri plerunque iam di-

explicandae sunt, ut ei res quasi oculis perspicere sibi videantur. Quod Tecmessa Ai. 284 sibi proponit his verbis

ἅπαν μαθήσει τοὔργον ὡς κοινωνὸς ὤν.

Itaque verba directa locum in nonnullis apte obtinent: Ai. 288—291; 293 (non afferuntur verba Aiacis quibus Ulixi et Atridis minatur). Philoct. 364/6, 369/70, 379/81 quibus colloquia quae homines aliqui habuerunt redduntur. Et omnes res his narrationibus explicantur eadem diligentia atque illis narrationibus, quarum forma ad leges Rassowii quadrat. — Narratio non semper eodem modo fluit. In Oed. R. 774—813 narratio versibus 726—778 interrumpitur quod his versibus a rebus generalibus ad res singulas transgreditur; in Trach. 672 sq. Deianira post prooemium res paucis verbis comprehendit et verbis

ὡς δ' εἰδῇς ἅπαν
ᾗ τοῦτ' ἐπράχθη, μείζον' ἐκτενῶ λόγον

ad descriptionem diligentiorem (vv. 680—704) transit. Haec bene conveniunt cum narratione paedagogi in El., cuius prior pars 681—695 brevior per vv. 696/7 cum insequente coniungitur.

Omnino in ea re sola differentia est inter utrumque ordinem narrationum quod alteris dialogus praemittitur quo summa narrationis insequentis indicatur, alteris dialogus quo homines sententias de rebus postea narrandis exprimunt, in ceteris rebus et in forma externa et in arte narrandi nullam differentiam invenire possum.

Narrationes quae restant fluunt hoc modo: El. 255—309 Electra quid sibi domi patiendum sit, gradatim exponit; nam vv. 254—260 initium facit: mihi querendum est quod unusquisque qui tanta mala patiatur queratur; deinde haec mala enumerantur: primum 261—265, alterum 266—270, tertium 271—281, quartum 282—292, quintum 293—298; versus 299—309 epilogum faciunt. Haec igitur verba formam explicationis, non narrationis habent. — In

verbio narrationi praemisso aut epilogo proditur aut in ipsa narratione ut Ai. 318.

Trach. 1—48 res prologo more Euripideo composito exponuntur. Sophocles priorem partem huius prologi, longam *διήγησιν*, plane ut Euripides, explicat; nam Deianira incipit a loco communi 1—3, quem versibus insequentibus ad vitam suam refert. v. 7/8

νυμφείων ὄκνον
ἄλγιστον ἔσχον, εἴ τις Αἰτωλὶς γυνή

proponit se diu nuptiis caruisse et vv. 9—17 explicat se nuptias cum Archeloo qui deus ad naturam bestiarum accesserit fugisse et diu matrimonio abstinuisse. Hercules cum Archeloo pugnans eam liberat; Deianira de pugna nihil narrare potest (vv. 18—25). Versibus 25/6

τέλος δ' ἔθηκε Ζεὺς ἀγώνιος καλῶς

εἰ δὴ καλῶς totum matrimonium quale sibi cum Hercule fuerit, paucis verbis indicat, quod versibus insequentibus usque ad finem explicat. In Trach. 531—587 Deianira choro narrat se a Nesso remedium accepisse: 531—554 longo prooemio narrationi praemisso explicat, cur rerum quae nunc sint ratione habita remedium aliquod adhibitura sit. Quomodo id a Nesso acceperit, narrat eo ordine ut primum Nessum morientem sanguinem loco remedii amoris sibi dedisse referat, deinde qua in occasione Nessus mortem obierit et sibi sanguinem dederit. Sic finis narrationis ad initium redit. Verba quae Nessus sanguinem e vulnere hauriens fecerit, directa refert. vv. 578—587 epilogus additur. Philoct. 254—316 Philoctetes mala quae dum insula Lemno vixerit se oppresserint per narrationem exponit. Quod haec in memoriam revocans magno dolore et ira afficitur, hanc narrationem magno cum impetu e pectore effundit (se ipsum appellat 254/9, v. 260.

ὦ τέκνον, ὦ παῖ πατρὸς ἐξ Ἀχιλλέως

Neoptolemum dupliciter alloquitur; item v. 278 in ipsa narratione). A versu 300 naturam insulae describit et nautas ad insulam appulsos se domum vehere noluisse. vv. 314—316 finem facit. Huic narrationi respondet Neoptolemus vv. 343—390.

Per omnes narrationes quas modo tractavi res aliquae exponuntur. Narrationes quibus actio promovetur, duae in hoc ordine exstant quae utraque suum genus prae se fert. In El. 418—427 Chrysothemis narrat quale somnium audiverit Clytaemestram perturbavisse. Chrysothemis postquam antea cum Antigona de somnio disputavit, hanc narrationem v. 418 statim a re ipsa incipit; vv. 426—430 epilogum addit. In Oed. R. 711—722 Iocasta ut sententiam artem vatum nihil esse probet, Apollinis vaticinium quod de filio Laii dederit non verum inventum esse narrat. Etiam haec narratio ut ea quam modo perstrinxi brevis est et id solum continet, quod ad rem producendam idoneum est.

5.

Restat ut de narrationibus quae in tragoediis Aeschyli leguntur disputem. Sed quoniam huius poetae in fabulis paucae tantum exstant et forma earum non tam exculta neque semper eadem est, singulas etiam hic arte narrandi Euripidea quasi fundamento usi interpretemur.

In vetustissima tragoedia quae nobis servata est, in Aeschyli Supplicibus, Danaus v. 600 filiis nuntiat, populum Argivum se in urbem accipere velle. Hoc argumentum nuntii primis verbis breviter comprehendit vv. 600/1 *θαρσεῖτε παῖδες· εὖ τὰ τῶν ἐγχωρίων δή μου δέδοκται παντελῆ ψηφίσματα* chorus rem accuratius scire vult. Danaus vv. 605/6 respondet omnes Argivos idem voluisse et versibus insequentibus usque ad 614 explicat eos alacriter consilio consensisse. In cursu narrationis etiam consilium quod Argivi tam laeto animo probaverint, commemoratur et vv. 609—614 accuratius explicatur; 615—620 regem populo persuasisse Danaus enarrat et vv. 621/2 ad eum locum narrationis redit a quo initium cepit; 623/4 addit epilogum, quo quid de re enarrata sentiat exprimit — Videmus in hac narratione res non per ordinem temporis proferri, sed omnia quae Danaus narrare vult connectuntur eo ordine quo Danao in mentem venerunt; cf. regem ab eo incipere quod eum maxime movit v. 607 *πανδημίᾳ γὰρ χερσὶ δεξιωνύμοις*

sc. omnes Argivos ad unum Supplices adiuvare paratos esse; praeterea cf. quomodo rex transitus faciat v. 608

ἔφριξεν αἰθὴρ τόνδε κραινόντων λόγον

et v. 615 τοιάνδε ἔπειθε ῥῆσιν ἀμφ' ἡμῶν λέγων. Talis narratio imaginem rerum in contione gestarum non depingit. — In narratione Persarum[1]) 176—215 Atossa vv. 176—180 exorditur: numquam omen mentem meam ita perturbavit ut id quod hodie vidi; itaque vobis narrare in animo habeo. Accurata insequitur descriptio quae quia de duabus rebus est in duas partes dividitur. Prior pars v. 200

καὶ ταῦτα μὲν δὴ νυκτὸς εἰσιδεῖν λέγω,

quo versu narratio rumpitur, finitur et tota narratio vv. 210/4. — Quod Atossa somnium et augurium senibus ante oculos ponere vult (cf. v. 171/2 et vv. 215 sq.), ea diligenter describit et omnia affert quae apta sunt. De se autem ubi somnium viderit et quomodo nocturno viso percussa sit nihil narrat, cum in altero prodigio narrando vv. 201/4 praemittat se cum famulis deis supplicaturam aves pugnantes vidisse; cf. v. 205 ὁρῶ δέ, quod saepissime ab Euripide hoc loco ponitur.

Hac narratione adventus nuntii qui v. 249 procedit praeparatur. Nuntius clade Persarum Salaminia vehementissime afflictus onus rerum questibus e pectore effusis sublevat. Inter hos questus paucis verbis comprehendit totam calamitatem Persarum (cf. 251/2 et 255), de qua deinde cum choro locutus certius refert; cf. 260/1 et 266/7 narrat se quamquam rebus adversis interfuerit servatum esse; et vv. 272/3 et 278/9 Persas apud Salamina pugna navali periisse et vv. 284/5 Athenienses ante ceteros Graecos Persis hanc cladem intulisse. Iam Atossa tanta calamitate oppressa ex magno maerore animum recipit et cladem Persarum comperisse cupit. Tota narratio de pugna Salaminia et reditu Persarum in quinque partes (sepono v. 299 et v. 349) distribuitur: 302—328 nomina eorum qui perierunt afferuntur, 337—343 Persas numero navium superiores

1) cf. v. Wil. Herm. 32.

fuisse, 353—428 ab initio pugna navalis narratur, 447—470 multos nobiles Persarum in Psytalia insula prope ad Salamina sita caesos esse, 480—482 de reditu exercitus classisque. Videmus partes ita componi ut narratio longa de pugna Salaminia medium locum obtineat. Tali dispositione ordo temporum quo singulae res factae sunt, non servatur; cf.: v. 333 Atossa postulat ἀτὰρ φράσον μοι τοῦτ' ἀναστρέψας πάλιν et res quae 302—328 et 337—343 explicantur in narratione pugnae Salaminiae referendae erant. Sed hoc eo magis demonstrat totam narrationem non forte in quinque partes distribui; sed hanc symmetriam consilio Aeschyli deberi [1]). Nuntius ab Atossa interrogatus res explicat. Hoc quidem etiam v. 447 facit, sed hanc narrationem v. 435 ipse movit et diverbio cum regina facto summam rei quam deinde explicaturus est vv. 441—445 breviter indicat. — Singulis partibus narrationis nuntius semper epilogum addit, quo quid de re sentiat indicat; cf. 329/30; 343/7; 429/32; 470/1; 513/4. Haec externa forma est qua narratio nuntii circumcluditur. Artem narrandi optime intellegimus ex narratione longiore de pugna Salaminia facta. Nuntius incipit vv. 353/4 a sententia [2]) de pugna: deum aliquem omnia mala Persis intulisse. Quam sententiam per narrationem probare studet: ἀνὴρ γὰρ Ἕλλην κτε. Et dum narrat, saepius ad res nondum narratas et eventum respicit et fluctum narrationis rumpens suas sententias innectit; cf. 361/2.

οὐ ξυνεὶς δόλον
Ἕλληνος ἀνδρὸς οὐδὲ τὸν θεῶν δόλον et 372/3
τοσαῦτ' ἔλεξε κάρθ' ὑπ' εὐθύμου φρενός.
οὐ γὰρ τὸ μέλλον ἐκ θεῶν ἠπίστατο

(cf. eandem sententiam Ag. 648/9); etiam his igitur locis nuntius eandem sententiam affert: a deis tota pernicies Persarum. In narratione ipsa omnia ad rem ipsam sc. pugnam

1) item in media tragoedia, quae Septem inscribitur, per symmetriam septies inter se opponuntur verba nuntii Eteoclis chori. Similia comprobant Groß de stichomythia et Hirzel de diverbio.

2) in ceteris partibus a re ipsa narrare incipit.

explicandam spectant: nulla res quae minoris momenti est affertur neque ullus digressus a re ipsa fit. Hoc imprimis in concursu navium observare possumus: non de singulis navibus quomodo dimicaverint refertur, sed de pugna omnium in universum[1]) neque nuntius narrat quid ipse in pugna Salaminia passus sit aut egerit, quod nuntii Euripidei plerunque faciunt. Hac igitur in narratione non de hominibus ut in narrationibus Euripideis, sed de rebus agitur. Itaque narratio verbis directis caret. Uno loco verba quibus Graeci sese ad pugnandum incitant redduntur, imperium autem Xerxis 356 sq. et 364 per orationem obliquam. Ab Aeschylo pugna Salaminia sermone historico et more scriptoris rerum gestarum qui deum in historia esse putat describitur.

In Sept. 42—54 actio narratione quam *κατάσκοπος* ab Eteocle missus de septem viris Argivis refert incipitur. Hic nuntius non solum nuntiat septem viros appropinquare, sed etiam mores eorum describit. Narratio quae prooemio et longiore epilogo circumcluditur, non multum differt ab eis quibus Euripides res novas ut actionem promoveat in tragoediam inducit.

Hic speculator v. 369 redit et Eteocli mores et habitum septem ducum qui portis instant describit. Narratio in septem partes dividitur quod Eteocles aliquo ex septem descripto respondet et simul dicit quem appositurus sit. Nuntius singulas partes orationis semper a prooemio incipit et epilogo brevi finit.

De narratione Sept. 792 sq. pleraque supra p. 8 disputavi. Etiam huic narrationi breve prooemium praemittitur.

Extremam partem tragoediae ab Aeschylo conscriptam esse mea quidem sententia Wundt in Philol. 65, 357 sq. comprobavit. Novum argumentum addam. Nam arte narrandi quae in narratione praeconis 1010—1030 adhibetur, cum narratione Persarum 176—214 et compluribus in Prom.

---

1) cf. quae v. Wilamowitz: Timotheos Perser de pugna Salaminia a Timotheo descripta dicit.

comparata apertum fit artem narrandi in utraque eandem esse; vv. 1010/1 enim praeco exorditur; narratio insequens quae de duobus hominibus agit in duas partes dissolvitur: priore praeco Eteoclem omnibus cum honoribus ut defensorem patriae sepeliendum esse nuntiat, in altera quid senatus de Polynice constituerit. Hae duae partes seiunguntur v. 1017. *οὕτω μὲν ἀμφὶ τοῦδ' ἐπέσταλται λέγειν* plane eodem modo quo duae partes in Pers. v. 200 (exempla ex Prom. sumpta cf. infra). Denique epilogus versu 1030 narrationem finit.

Idem de narrationibus quibus in Aesch. Prom. mores Promethei et Ionis fata ante oculos ponuntur dicendum: omnes tales narrationes prooemio et epilogo circumdantur et si quando narratio de duabus rebus agit, hoc etiam forma narrationis indicatur, quod prima pars epilogo finitur; cf. 223/7, 801, 842/3 et saepius altera a novo prooemio incipit (228/9. 802. 844/5).

In narratione praeconis Ag. 636—680 videmus prooemium (634—649) et epilogum (671—680) magnum spatium occupare. De narratione ipsa quae stragem navium explicat, idem dicendum est, quod de Persis: non singulae res quae in tempestate acciderint, depinguntur, sed generaliter omnes naves quomodo tempestate contussae atque dispersae sint.

In Choeph. 674—687 Orestes statim a re ipsa incipit: *ξένος μέν εἰμι κτε.*; deinde rem usque ad v. 687 explicat verba Strophii quae pro capite nuntii habenda sunt ipsa referens. vv. 688—689 epilogum faciunt.

III.

Quibus rebus de tragoediis Atticis quae ad nostra tempora superstites venerunt probatis si quaerimus quem locum narrationes in deperditis tragoediis et vetustissimis et ceteris trium poetarum tragicorum habuerint, id ante omnia ne in errores incidamus numquam e mente excidat nos exemplis tantum artis tragicae uti. Itaque aliquid ex

tragoediis quae nobis praesto sunt de origine narrationum et ceteris narrationibus concludentes caute progrediamur.

Euripides initio certam nuntiorum formam sibi constituisse videtur ut catastrophas post scaenam factas ante oculos poneret, tum autem hanc formam etiam ad alias narrationes aut exponendi causa aut actionem movendi causa prolatas transtulisse. Iam numerus mihi demonstrare videtur certam formam catastropharum propriam esse. Nam duodecim locis catastrophae tragoediarum a nuntiis illo modo ante oculos ponuntur, aliae autem res septies vel potius quater (narrationibus in Alc. Hec. Or. sepositis). Nam in Hec. et Or. (priore nuntio) res narrantur, quarum natura haud aliena est a catastrophis et in Alc. 141 sq. narratio sui generis exstat ut infra explanabo. Porro ars narrandi quam Euripides nuntiorum narrationibus adhibet cur tam exculta atque accurata sit, tum demum intellegitur, si Euripidem eam ad actiones dramatis sc. ad catastrophas explicandas invenisse putamus. Nam aliae res quomodo factae sint accurate comperire spectatorum non interest. — Deinde catastropha ubicunque in fabulis Euripideis narratur, semper a nuntio narratur qui narrationem certa forma conceptam profert, aliae autem res atque catastrophae plerunque aliter narrantur. — Denique inter illas narrationes quae in Alc. Hec. I. T. Hel. Phoen. Or. Bacch. alias res atque catastrophas exprimunt, eae solae inveniuntur quae legibus non tam certis astringuntur quam nuntii catastropharum; cf. Alc. 141 sq. ubi famula partes nuntii agit, quod nulla alia in narratione quae certa forma a Rassowio probata profertur fit. Famula primum per stichomythiam calamitatem dominae (cf. 143, 146) commemorat, cum ceteri nuntii Euripidei stichomythia ut rem narrandam breviter exprimant, numquam utantur, sed semper dialogo aliter conformato (cf. Groß). A v. 152 longiorem narrationem incipit, sed initium huius narrationis facit a longiore prooemio quod in nuntiis Euripideis numquam fit; famula enim in Alc. exorditur ab hac sententia: Alcestis femina optima est; vv. 156/7 transgressus ad narrationem fit; vv. 196—198

epilogus additur, qui etiam nuntiorum narrationes finire solet. Haec autem narratio a ceteris etiam hac in re differt, quod partes aequabiliter inter se componuntur[1]; cf. tres septenorum articulos: 156—162 = 163—169 = 170—176 et duo senorum: 177—182 = 183—188. Denique narratio in duas partes dividitur quod famula vv. 201—208 de Admeto narrat. — Forma igitur huius narrationis omnino non ad nuntiorum narrationes quadrat neque eam inter eas numerandam esse censeo (etiam R. eam neglegit). Hec. 484 sq. Talthybius de morte Polyxenae eodem modo refert quo nuntii Euripidei de catastropha. Etiam res quae narratur et quo fabulae loco ad has narrationes quadrat. Sed initio tres versus ita adduntur, ut narratio non ab ipsis rebus incipiat. I. T. 237 sq. bubulcus se duos Graecos cepisse narrat plane eodem modo quo nuntii Euripidei catastrophas. Hic autem nuntius non affectu aliquo commotus in scaenam venit, sed nuntiandi causa. In Hel. 597 sq. nuntius narrationem ut ceteri nuntii Euripidei instituit. Ne hic quidem rebus quas narrat commovetur. Praeterea epilogo 616—621 alia est sententia atque epilogo narrationum nuntiorum. Nam cum nuntii epilogis id quod de rebus narratis sentiunt et cogitant exprimant, nuntius in Hel. epilogo veram Helenam, quae praesto est, agnoscit. Phoen. 1219 sq. nuntius de certamine fratrum incohato referens vv. 1219—1223 summam narrationis insequentis loco prooemii comprehendit; vv. 1259—1264 epilogum addit. In dialogo narrationi praemisso nuntius quod quid de re nuntianda sentiat explicat, narrationem praeparat. Or. 852—956 nuntius ut ceteri nuntii Euripidei narrat. Bacch. 660 sq. narrationi nuntii de Bacchis eadem forma est quae narrationi catastrophae v. 1032 sq. Haec autem narratio non episodium novum incipit, sed nuntius medio in actu procedit (ut prior nuntius in Helena). — Idem ars narrandi demonstrat. Nam quod supra explicavimus narrationibus quibus exponitur aut actio

1) cf. Hirzel, De Euripidis in componendis diverbiis arte. Bonn 1862 p. 26/7.

movetur id quod ad rem cognoscendam satis sit solum contineri narrationibus autem catastropharum res ut spectatoribus ante oculos sint depingi, in I. T. 260 sq. et Bacch. 677 sq. nuntios ut ceteros nuntios Euripideos res accuratissime explicare videmus. Sed in Hel. 605 exstant duae formae mixtae: nuntius narrationem quod formam externam attinet ut ceteri nuntii Euripidei instituit v. 597 sq., sed narratio quod ea de causa sola ut Menalaus Helenam agnoscat in tragoediam inducitur, id solum continet quod ad actionem promovendam satis est et refertur eodem modo quo semper novae res in tragoedias inducuntur sc. nuntius res non ab initio explicat, sed id unum refert Helenam quam Menelaus Troia deleta nave duxerit, ad caelum raptam esse. Sic nullus nuntius Euripideus catastropham narrare potest, quod hae narrationes aliam naturam prae se ferunt. — Unde sumendum esse puto Euripidem genus nuntiorum quod iam primis tragoediis tam excultum invenimus, ad catastrophas narrandas excogitavisse, tum autem ad alias res narrandas transtulisse. Quod primum de narrationibus quibus res catastrophae simillimae explicantur velut in Hec. 484 sq. et in Or. 844 sq. fecisse videtur, in posterioribus autem tragoediis — quatenus de hac re iudicare possumus — etiam de aliis rebus explicandis ut in I. T. Phoen. Bacch.; initium autem huius translationis in Hel. 597 sq. invenimus.

Quam sententiam de Euripidis tragoediis tragoediae Aeschyleae comprobare videntur. Formam enim qua nuntii Euripidei utuntur, in tragoediis vetustissimis, in Suppl. et Pers., invenimus atque etiam catastropha his in tragoediis exprimitur narrationibus ex quibus per gradus ad certam formam Euripideam pervenire possumus. In Aesch. Suppl. v. 600/1 Danaus ad scaenam venit haec verba dicens: *θαρσεῖτε παῖδες· εὖ τὰ τῶν ἐγχωρίων δήμου δέδοκται παντελῆ ψηφίσματα* sc. paucis verbis comprehendit quod postea explicaturus est; hoc ante omnia dialogi qui omnibus nuntiorum narrationibus Euripideis praemittitur proprium esse supra commemoravimus. — Hac autem in re differentia est

ab Euripideis nuntiis quod Danaus priusquam ad rem accedit prooemium facit a vv. 605/6. Epilogus qui vv. 623 4 additur Euripideis similis est quoniam Danaus quid de re sentiat exprimit. In Persis 249—285 nuntius primis verbis summo cum affectu emissis classem Persarum et exercitum deletum esse indicat, Narratio autem de pugna Salaminia cum catastropharum narrationibus Euripideis conferri non potest quod in quinque partes dividitur. Hae quidem ut narrationes Euripideae statim a re incipiunt et epilogis finiuntur. Ex his partibus una 435 sq. ut narrationes Euripideae instituitur quod narrationi dialogus antecedit quo iam vv. 441/4

Περσῶν ὅσοι περ ἦσαν ἀκμαῖοι φύσιν
ψυχήν τ' ἄριστοι κεὐγένειαν εὐπρεπεῖς,
αὐτῷ τ' ἄνακτι πίστιν ἐν πρώτοις ἀεί,
τεθνᾶσιν αἰσχρῶς δυσκλεεστάτῳ μόρῳ

mortem Persarum nobilium postea narrandam indicat. — Elucet apud Aeschylum neque formam narrationis neque — ut supra demonstravi — artem narrandi tam firmam atque excultam esse quam apud Euripidem, sed Euripidem sine dubio multa ex Aeschyli tragoediis ut leges nuntiorum suorum conformaret sibi sumpsisse.

Etiam quod personam nuntii attinet Euripides Aeschylum secutus esse videtur. Nam in nuntiis Aeschyleis *ἠθοποιία* non fit et unusquisque pari modo narrat, quam rem Sophocles mutavit.

Simul ex Aeschyli tragoediis (Suppl.) cognoscimus formam nuntiorum Euripideorum ab initio non nuntiorum propriam esse, sed omnium narrationum quibus actio aliqua exprimebatur. Hanc etiam alia persona atque nuntius velut in Suppl. Danaus narrare potuit. Item in Sophoclis tragoediis aliae personae ut custos mercator nutrix Hyllus simili modo narrant atque apud Euripidem nuntii.

Hoc mihi demonstrare videtur personam nuntii non ab initio locum in tragoediis obtinuisse, sed alias personas fabulae velut Danaum in Suppl. partes eius egisse et personam nuntii ea de causa a poetis inventam esse quod illae per-

sonae res narrare non potuerunt. At poeta plerunque personis quae in fabulis maiores vices gesserunt, narrationem tribuere potuit, si voluit, e. g. in Persis sine dubio etiam Xerxes cladem Salaminiam referre potuit. Cur poeta tamen nuntium induxit, cum in Suppl. Danaus rem post scaenam gestam enarret? Mea quidem sententia in Persis Xerxes clade Salaminia ita afflictus est, ut queri possit, narrare non possit. Et Xerxes non bene narraret, quod narratio affectum ad questus necessarium minuit [1]. Sane etiam nuntius affectibus de rebus visis afficitur, sed quoniam homo humilioris generis est, rebus gestis non ita afficitur, ut affectum reprimere non possit. Hanc personam nuntii ad illas personas maioris gravitatis quibus munus nuntii esse potuit ut Danao, conformatam esse puto [2]. Unde igitur affectus nuntiorum et quod nuntii ea sola quae viderunt narrant, alia autem omittunt. Simili enim modo illae personae res narrarent. — Personam igitur huius nuntii poetae sibi invenerunt ut res affectum moventes narrarent et eos iam illis temporibus tragoediae invenisse possunt, cum unus tantum actor exstitit. Qua in re Euripides tragoedias antiquiores sequitur, cum in prioribus tragoediis catastrophas solas per nuntios explicet.

Ab hoc nuntio eam personam seiungendam esse puto quam — si verum est quod Aristoteles tradit Aeschylum alterum histrionem in tragoediam induxisse — Aeschylus sibi invenit, ut dialogum et actionem efficeret. Nam cum temporibus quibus unus tantum histrio erat actio fieri non posset aut ut in Persis drama analyticum esse deberet,

1) hoc comprobatur in eadem fabula v. 159 sq., ubi Atossa cum choro versibus trochaicis loquitur, narrationem autem de somnio trimetris, versibus sedatioribus et ad sermonem aptioribus, profert.

2) sententia igitur quam Hermannus in praeff. Eur. Cycl. et Bacch. explicavit, nuntii personam a primo actore ad chorum accedente derivatam esse recta videtur, si nuntium locum primi actoris saepius occupasse sumimus. Tum enim ea de causa maximas partes egit quod pro illa persona maioris gravitatis rem per fabulam explicandam narravit, id quod in Aesch. Pers. videmus, ubi nuntius pro Xerxe narrat. cf. Rassow p. 1/2.

altero histrione adhibito simul actio et verus dialogus fieri potuit. Ut actio nova re in tragoediam inserenda moveretur, Aeschylus homines humilioris generis elegit velut praecones in Suppl. et Sept., spectatorem in Sept., Mercurium loco praeconis in Prometheo. Tales personae ad actionem promovendam maxime idonei erant. Sed etiam aliae personae maioris momenti hoc munere fungi possunt ut Atossa in Pers. 159 sq. — Etiam ut diverbium fieret Aeschylus tales personas adhibuisse videtur quod in Sept. media in tragoedia Eteocles et nuntius ea sola de causa procedunt ut inter se colloquantur. Tales personas ut praecones etiam Euripides ad actionem movendam haud raro adhibet cf. praeco in Suppl. 399, θεράπων in Alc. 747, Heracl. 660, Bacch. 434; θεράπεινα in Alc. 142; Hec. 658; Andr. 56; nutrix in Andr. 802; senex in El. 488.

Etiam nomine comprobari videtur duos ordines nuntiorum sc. eorum qui catastrophas narrant et qui res novas in tragoediam inducunt distinguendos esse. Nam in codicibus Euripideis nomine ἀγγ eae solae personae significantur quae narrationem certis legibus proferunt[1]), quamquam omnes nuntii dicunt, quales homines sint: nuntius est unus ex servis in Andr. Bacch. (alter nuntius) El. Heracl. Suppl. Hipp. I. T. (alter nuntius) Med. Phoen. (alter). Or. aut unus ex ὀπαδοῖς in Herc. aut ὑπασπιστής in Phoen. (prior) aut bubulcus in I. T. (prior) et in Bacch. Sed hac in re nulla differentia est ab ceteris personis quae ut illi in una scaena partes nuntii habent ut in Alc. femina quae habitum Alcestidis et Admeti describit θεράπαινα vocatur (cf. Andr. 56, Hec. 657) et servus Hylli qui adventum domini in Heracl. 630 nuntiat (cf. Alc. 747, Bacch. 434). — Cur igitur hae personae non eodem nomine designantur quo nuntii qui certa orationis norma res describunt? Nomen

1) Excipiuntur Med. 1121 ubi varia scriptura θερ. est et Heracl. 784. Sed R. comprobavit, in Heracl. nomen servi qui v. 928 procedens in codd. αγγ significatur ad v. 784 movendum esse. Una vera exceptio in Ion 1106 ubi homo qui Ionem ab Apolline servatum esse nuntiat in codd. θεράπων significatur.

nuntii cum hac certa forma cohaeret[1]). Hoc autem nomen comprobat genus vetustum esse. Nam choro simile est, quod una munus significat.

Appendix.

Postquam hoc opusculum confeci, edita est commentatio Iohannis Fischl De nuntiis tragicis (Diss. Vindob. X. 1910 p. 1 sq.). Qui quaestiones quas supra de primordiis narrationum tragicarum movi, solvere studuit et multa de nuntiorum arte narrandi recte observavit; inter quae multa quae nos non invenimus. Quamquam igitur nonnulla quae non tam accurate tractaveram, omittere licuit tamen non retractavi opusculum quod neque pari modo — et quod argumentum attinet et quod rationem quaerendi — quaestionem institui neque quae F. protulit omnia obtineri posse opinor. Quid de singulis locis quibus a Fischlio dissentio censeam, facile ex opusculo meo concludi potest. Hoc loco disputem contra sententias quas Fischl. c. II. profert. Hoc in capite enim F. movet quaestionem an nuntii ex antiquissima forma tragoediae initium duxerint. Quod negat et ante narrationem diverbium unius actoris cum choro locum in tragoedia habuisse dicit. Quamquam hoc sine dubio recte dixit, tamen argumenta haud perspicua addidit. Nam primum id quaerendum mihi videtur: qua ratione et qua causa perductus poeta tragicus primum actorem choro opposuit? Hoc mea quidem sententia ea de causa sola fecisse videtur ut ex verbis huius actoris nova cantica chori fluerent. Id quomodo factum sit, nomen actoris *ὑποκριτής* declarare videtur: respondet a choro interogatus. Hoc autem responsum nihil aliud continuisse potest nisi novam rem ad quam nuntiandam processit. Hoc munere nuntii

---

1) nomina ab editoribus, non a poetis addita esse comprobant codices qui in eis tantum nominibus dissentiunt, ubi nomen certum ex verbis poetae promi non potest e. g. in nominibus *θεράπων τροφός πρεσβύτης παιδαγωγός* aut ubi verba poetae varie interpretati sunt ut in El. 1292 sq.

quisque homo fungi potuit: aut rex ut Danaus in Suppl. aut regina ut Atossa in Persis aut nutrix aut speculator. Rem autem nuntiare potuit sive per stichomythiam aut per aliud diverbii genus sive per brevem narrationem ut Danaus in Suppl. Tali in fabula actio fieri potuit ut in Aesch. Suppl. et Pers. aut plane defuit ut in Aesch. Prom. (quam fabulam F. p. 6 neglexit). Prometheus Aeschylea simul exemplum »fabulae narrativae« est quod F. desiderat. — Sine dubio initio tragoediae primus actor pauca tantum verba cum choro fecit neque magnas partes egit. Partes autem actoris paulatim ingenio poetarum auctae et altero actore addito in maius productae sunt. Illae tragoediae in quibus unus actor exstitit, actione ante oculos spectatorum gesta certe carebant quamquam actor etiam his temporibus alia saepius cum choro egit quam narrationem vel diverbium nuntiandi causa (cf. Danaum in Suppl. 176 sq.).

Conspectus argumenti.

Prooemium.
I. Quem locum narrationes in tragoediis obtineant. p. 3.
II. De singulis narrationibus.
1) De Euripideorum nuntiorum narrationibus.
a) de certa forma. p. 10.
b) de argumento. p. 12.
c) de arte narrandi.
α) quid intercedat inter narrationes et personam nuntii: nuntius id solum narrat quod vidit. p. 17. — affectibus nuntii tota narratio impleta est. p. 23. — ἠθοποιία deest. p. 28.
β) de ratione describendi: de diligentia quae singulis in partibus adhibetur. p. 28. — de initiis et finibus singularum partium. p. 30. — de descriptione circuitione quadam facta. p. 32. — de descriptione morum. p. 34. — de oratione directa. p. 36. — de similitudinibus. p. 38. — de descriptione rerum. p. 40.
d) de dictione epica. p. 41.
2) De ceteris narrationibus Euripideis.
a) de prologorum arte narrandi. p. 44.
b) de eis narrationibus quibus novum momentum in actionem inducitur. p. 48.
3) De narrationibus Sophocleis quarum forma ad nuntios Euripideos quadrat. p. 50.
4) De ceteris narrationibus Sophocleis. p. 58.
5) De Aeschyli narrationibus. p. 61.
III. Quem locum narrationes in deperditis tragoediis et pristinis et trium tragicorum obtinuerint. p. 65.
Appendix.

Vita.

Natus cum Ericus Paulus Henning a. d. VI. Non. Mart. a. MDCCCLXXXVII Hannoverae patre Friderico quem mense Maio anni MCMVI mortuum esse vehementer doleo matre Iustina de gente Kahnt. Fidem confiteor evangelicam. Gymnasii Hannoverani quod Lyceum I vocatur per novem annos discipulus fui. Inde a vere anni MCMV Gottingae per duo semestria, Berolini tertio et quarto, Gottingam reversus usque ad hoc tempus civibus academicis ascriptus sum. Docuerunt me viri doctissimi: Diels Ed. Meyer Norden W. Schulze Vahlen Wentzel Wilamowitz Berolinenses, Brandi Busolt Goedeckemeyer Husserl Koerte Laqueur Lehmann Leo Müller Pfuhl Pohlenz Schwartz Stein Viertel Wackernagel Wendland Gottingenses. Proseminarii philologorum Gottingensis per duo semestria, Berolinensis per unum, Gottingensis seminarii I per quattuor, archaeologici Gottingensis per duo, proseminarii historici Gottingensis per duo semestria sodalis fui. Praeterea me ad exercitationes admiserunt Busolt historicas Wackernagel grammaticas.

His viris doctissimis quid debeam numquam obliviscar, imprimis Friderico Leo quem etiam in hoc opusculo conficiendo mihi favisse grato animo confiteor.

PA 3136 H4

Henning, Erich
De tragicorum Atticorum narrationibus

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY